


Kranichfeld

יהוה



Sr. Hochwürden dem Consistorial-R

Herrn Professor Dr. Niedner

erlaubt sich dieses Büchlein als ein g

Zeichen der größesten Verehrung un

nigsten Hochachtung zu überreichen

gehorsamst und treu ergeben

die Verfasser.

Berlin,

den 20sten December

1861.

DE IIS, QUAE IN TESTAMENTO VETERE COMMEMORANTUR, PROPHETARUM SOCIETATIBUS.

AUCTORE

GUIL. RUDOLPHO KRANICHFELD,


THEOLOGIAE LICENTIATO ET PHILOSOPHIAE DOCTORE.

BEROLINI.

SUMPTIBUS GUST. SCHLAWITZ.

MDCCCLXI.

INDEX.



Quo parcius in Scriptura sacra de iis, quas dicunt, prophetarum scholis agitur, eo perfectiori, ut sanum de iis iudicium exhibeatur, Codicis sacri quum in universum tum ad vim virtutemque quod attinet interiorem atque genuinam opus est cognitione, quae ex locis singulis tum per sese in partes omnes perpensis tum ad Scripturae totius, quae est, analogiam relatis hauriatur. Haec res Scripturae sacrae inquirendi et investigandi ratio non solum ab iis omittebatur, qui scholas illas aut ad unam potestatem regiam reprimendam et circumscribendam institutas esse arbitrabantur aut reliquias superstitionis paganorum, vaticinationem per artes vel res externas captantium, residuas in iis permansisse sentiunt, sed etiam ab iis, qui quamvis prophetiae verae ideam et imaginem animo informaverint, tamen temporis ipsius, ad quod eas pertinere volunt, non satis perspectis statu atque conditione viros illos operam dedisse ponunt mero litterarum aut philosophicarum aut theologicarum ludo, quem nominant vel sensu strictiori scholas vel academias. Atque hac aetate etsi quod sit causae caput ab interpretibus nonnullis rectius denotatum est, tamen sententiis eorum etiamnunc inveteratarum opinionum falsarum vestigia adhaerent ac de rebus plurimis restant, quae sint aut corrigenda aut enodatius designanda. Unde non pigebit illas, quas dicunt, prophetarum scholas, quae quum primo obtutu

sensu quodam afficiant miro, iam ab antiquissimis aetatibus interpretum tum Judaeorum tum Christianorum animum in se converterunt, ad conditionem quod attinet et interiorem et exteriorem seorsim denuo perlustravisse*).

*) Monographiae de scholis prophetarum exstant hae: P. Werenfels, Dissertatio de scholis prophetarum, Basil. 1701. Soldan, Sciographia scholarum prophetarum in Maii dissertt. selectiorr. Tom. I, p. 651. 652. Zinck, Dissert. de prophetarum scholis, Gott. 1737, in Kahlii dissertatt. J. H. Hering, Abhandlung von den Schulen der Propheten, Bresl. 1777. Schwebel-Mieg, De prophetarum scholis quas ferunt commentatio theol. partc. I, Strassb. 1833; praeterea Jac. Altingii Opp. Tom. V, Dissertationum Academic. Heptas, Gron. 1671. De Samuelis schola scripserunt: Dietr. Winkler, Vindicatio scholae divi Samuelis propheticae, Hildesh. 1754; Nachtigal, Ueber Samuels Saenger-Versammlung oder Prophetenschule, in Henkii: Magazin für Religionsphilosophie, Exegese u. Kirchengeschichte, Helmst. 1796. Occasione data disputarunt hac de re (cuius fit mentio et in Talmude סוטה, מג ed Amst.; סנהדרין, קז all.) Aben-Esra, Kimchi, Abarbanel in Comm.; Molinaeus, Vates L. I. c. 18. 19, Lugd. Bat. 1640; Th. Burnet, Arch. Philos. L. I. c. 7, Lond. 1692; Herm. Witsius, Miscell. sacr. Pars I. L. I. p. 75 sqq., Lugd. 1695; Camp. Vitringa, De synag. vetere, L. I. Pars II. c. 7, Franequ. 1696; Joh. Gottl. Carpzov, Dissert. de ecclesiae Judaicae prophetis in genere, Lips. 1714; Buddeus, Hist. Ecclesiast. V. T. tom II. p. 276 sqq., Lips. 1715; Waehner, Antiquit. Ebraeor. Vol. II, p. 794 sq., Gotting. 1742; Theod. Guil. Joh. Juynboll, Causae quibus effectum sit, ut regnum Judae diutius perstiterit, quam regnum Israel, p. 92 sqq., Lovanii 1824; Staeudlin, Geschichte der Sittenlehre Jesu I, p. 197; De Wette, Lehrbuch der hebr. jued. Archaeol. p. 274 sq.; Knobel, Prophetismus der Hebraer, Th. II. p. 39 sqq.; Winer, Bibl. Realwoerterb.; Hengstenberg, Beitraege zum A. T., II. p. 146; Christologie I. p. 404 sq. Ed. II; Keil, Commentar zu d. B. B. der Koenige, p. 349 sq. cf. Handbuch der bibl. Archaeologie Vol. II. § 132; J. L. Saalschuetz, Das Mosaische Recht p. 132, 133; Thenius, Die BB. der Koenige erklaert p. 278.

Sed primum opus est, ut causa ipsa, de qua sit disputandum, accuratius definiatur. Scholas enim prophetarum qui dictitant, ex Scriptura sacra eas eruendo, maxime duas in partes discedunt. Ab altera parte Rabbini veteres, quos sequitur Altingius, eas, quas vocant, scholas prophetarum ad Adamum usque producunt iisque praefuisse volunt, quicunque in Scriptura sacra doceant quid vel docere videantur: ita ex Gen. 14, 14, ubi servi Abrahami dicantur „instructi", patriarcham inter eos habuisse scholas colligitur; ex eo, quod idem appellatur propheta in Gen. 20, 7, litterarum factitant doctorem. Ab altera parte scholas profitentur denotatas esse demum in primo libro Samuelis, ubi occurrant designationes לַהֲקַת הַנְּבִיאִים, חֶבֶל נְבִיאִים (1 Sam. 10 et 19), atque in libris Regum, ubi earum scholarum participes designentur maxime per illud בְּנֵי־הַנְּבִיאִים; iidem inter sese ita discedunt, ut, auctoribus maxime Haevernick et Keil, Samuelis societates inter et eas, quae Eliae atque Elisaei aetate conspiciantur, differentia quaedam statuatur, per quam, quae de his posterioribus prodantur, non liceat iusto citius transferre in priores et invicem. Partis prioris defensores, qui iidem suae aetatis opiniones et instituta sine ambagibus in res antiquissimas coniecturando inferant, optime et affatim redarguit iam Buddeus (H. E. Pars I, p. 414 sqq.); eorum vero sententiam, qui stant a parte secunda, in ipsa disquisitione nostra accuratius examinabimus. Inquiremus enim in harum, quae perperam vocantur, scholarum conditionem tum exteriorem tum interiorem, ac primum quidem disseremus seorsim de

iis, qui cum Elia et Elisaeo versabantur, בְּנֵי־הַנְּבִיאִים: deinde de iis prophetarum societatibus, quae Samuelis aetate commemorantur: postremo de harum, quae et Eliae et Samuelis aetate erant, societatum origine communi, continuatione, fine.

CAPUT I.

De illis בְּנֵי־הַנְּבִיאִים, qui cum Elia et Elisaeo versabantur.

בְּנֵי־הַנְּבִיאִים diserte occurrunt in libris Regum imperium ineunte Achabo (1 Reg. 20, 35), postremum Jehuo regnum capessente (2 Reg. 9, 1 sqq.). Quodsi periodos iuxta progressus, quos Ephraimitae in sua a Deo defectione fecerunt, ponimus tres, quarum prima, ab condito regno Ephraimitarum ad Achabum regem tendens, Jehovae maxime sub imaginum specie venerationem habebat: altera inde ab Achabo usque ad Jehuum regem Baalis in sanctuariis adorandi cultum: tertia ad regni usque interitum imaginum cultum reducem: apparent illi בְּנֵי־הַנְּבִיאִים intra periodum secundam, quae comprehendit spatium annorum triginta sex (1 Reg. 16, 29 — 2 Reg. 10, 17 cf. 2 Chr. 18, 1—19, 2). Atque hoc tempore, quo Elias et Elisaeus munere suo divino cum vigore fungebantur, offendimus eorum sedes Bethele, Jerichunte, Gilgale (2 Reg. 2, 3, 5; 4, 38): quae oppida in tribu Beniamin sita erant*); nec dubium esse potest, quin tum Bethel et

*) Gilgalem, filiorum prophetarum sedem, Keil (Com. ueb. d. BB. der Koen.; ad 2 Reg. 2, 1 seq.) et Thenius (Die BB. der

Jericho, quas urbes regni Ephraimitarum intra periodum primam videmus tenaces (cf. 1 Reg. 12, 29;

Koen.; ad l. eund. et in Kaeufer Bibl. Stud. II. p. 130 sqq.) contendunt non intra Beniaminitarum fines, in Jardenis valle, fuisse sitam, sed in montibus Ephraim (cf. Deut. 11, 30), ubi hodie Silunte ad Africam versus inveniatur vicus „Jiliilia". Gilgalem in valle Jardenis sitam reiici non solum per illud וַיֵּרְדוּ in 2 Reg. 2, 2, quod non congruat cum Bethele in montibus sita, sed etiam ea de causa, quod Eliam, si Gilgale Jardenis Bethelem profectus sit, Jerichuntem primo transgressum esse et in Jardenis vallem rediisse putandum sit. At illorum et descensus et ascensus vocabulorum usus saepius de accuratiori certiorique locorum notitia pendet, qua quidem nos de illo in valle Jardenis oppido caremus; ita non raro illud יָרַד de oppidis, ex quibus quis exit invenitur, quod ea in locis sublimioribus vel acclivibus exstruere solebant: quo in genere exempli causa de Samuele et Saule ad finem Ramae oppidi pergentibus legitur (1 Sam. 9, 27): הֵמָּה יוֹרְדִים בִּקְצֵה הָעִיר, de Rutha Bethlechemo in aream „descendente" (Ruth 3, 3. 6): nec difficile cogitatu et in regionibus quamvis planis tamen in loco eius planitiei editiori oppida potuisse constitui. Atque ad Eliae in Jardenis vallem unde exierat reditum quod attinet, primum denotandum, quod non ad arbitrium iter faciendum propheta deligebat, sed ibat certo iussu divino, propter quem ter redit illud כִּי יְהוָה שְׁלָחַנִי (2 Reg. 2, 2. 4. 6): deinde si ipse tum, quum patefactus est ei mirus eius e terra abitus trans Jardenem futurus, hac ipsa Jardenis Gilgale versatus est, qui fieri potuit hic trans Jardenem abitus, nisi illuc, unde egressus erat, revertebatur. Nec mirandum, quod non per alia loca, sed per regionem eandem redibat; nam si iam in vita communi homines quo maiori alicuius studio capti sunt, eo saepius eum videre cupiunt: quo magis Elias potuit adduci, ut potissimum per ea loca rediret, in quibus versarentur ii, quorum ipse „pater" nominaretur. Unde id quidem iam patet, non esse, cur in 2 Reg. 2, 1 illa Jardenis Gilgal omnino reiciatur.

Idem de ceteris T. V. locis redit, ex quibus ullam in valle Jardenis urbem, cui nomen fuerit Gilgalis, omnino edoceri non posse cogit Keil. Perstringamus eos locos, quos is interpres hoc in genere momenti esse censet. Dicit enim Josuam postquam Ai

16, 34), tum Gilgal, quam Hoseae et Amosi aetate propter idololatriam ibi propugnatam (cf. Hos. 9, 15;

oppidum expugnaverit (Jos. 8, 28) iamque ad montes Ebal et Garisim penetraverit (ib. vers. 30. 33), ad illam in valle Jardenis „urbem", ubi Gibeonitae Josuam urbe Ai deleta conveniant (Jos 9, 6; 10, 6), alia bella apparatum (10, 7) rediisse non posse cogitari; item non esse credibile, in loco isto „remotissimo et in angulo terrae posito" aut Samuelem ius dixisse populo illic evocato (1 Sam. 7, 16) aut Sauli regi universam gentem sacramento fidem promisisse (1 Sam. 11, 14. 15) aut Sauli adversus Philistaeos, ad Michmasum collocatos, castra fuisse primaria (1 Sam. 13, 4). Atqui ad prius quod attinet, persaepe accidere potest, ut dux, quamvis longius in hostis fines victor progressus, tamen vel propter instantes alios circa hostes vel propter alius cuiusdam rei respectum in locum, unde egressus sit, tutum firmatumque revertatur. Quod autem argumentum de loci situ remoto repetit, omnem argumentationis ad probandum idoneae vel speciem amittit, si Gilgalis a Josuae aetate per res memorabiles sanctitatem consideramus, quae Israelitas eius loci studio memoriaeque reverentia imbutos impellebat, ut ibi potissimum res graviores et quae momenti ponderisque essent aggrederentur ad dignitatem earum auctoritatemque adaugendam. Atque illa adversus Gilgalem Jardenis argumentatio, quam petit Keil, sine mora adstipulante Thenius et Simson (der Prophet Hosea p. 144), ex Jud. 3, 19. 26. 27, inde proficiscitur, quod Moabitarum regem eo tempore, ad quod hi versus pertinent, Jerichunte sedem habuisse praesumunt: at quae tandem necessitas nobis iniungitur, ut Eglonem, quamvis iuxta versum huius capitis tertium decimum Jerichuntem ceperit, aut per octo et decem annos (ib. vers. 14) in ea urbe remansisse aut tunc temporis, quum Ehud ad eum perveniebat, Jerichunte versatum esse putemus? ex eo, quod Ehudem fugitivum iter brevissimum properationis causa ingressum esse praesumere possumus, Gilgale vel occidentem vel africum vel meridiem versus eum commoratum esse colligere licet. Quod autem Robinson in sua Palaestinae descriptione profitetur, nullum Gilgalis rudernm a Jerichunte orientem versus vestigium se reperisse, id haud mirandum, quum iam Hieronymi aetate ea urbs „locus" fuisset „desertus." (Onom. s. v. Galgala).

Adhuc non esse ostendimus, cur ad illos Scripturae locos

12, 12; 4, 15; Am. 4, 4; 5, 5) finium Ephraimitarum fuisse putandum est, etiam intra illam historiae regni Ephraimitarum periodum secundam decem tribubus assignandae sint. Quaerendum enim esset, qui fiat, ut hi בְּנֵי־הַנְּבִיאִים, quos interpretes cuncti Ephraimitarum regno attribuunt, occurant in regno Judae: haec difficultas tantum ita posset dirimi, ut illos בְּנֵי־

---

expediendos aut ad oppidum illud in montibus Ephraim situm nos confugere necesse sit aut Gilgalem Jardenis nihil nisi sacrum quendam sine domiciliis locum habeamus. Restat igitur, ad 2 Reg. 2 et 4 quod attinet, ut diiudicemus, utrum illa ad Antipatridem Gilgal, [quae eadem non solum in Deut. 11, 30, sed etiam in Jos. 12, 23 significatur: cf. Onomast. s. v. Gelgel: ubi haec Josuae Gilgal describitur „ab Antipatride in sexto milliario contra septentrionem." Antipatris autem, ante dicta Carbasaba (Joseph. A. J. XIII. 15, 1), iuxta Itinerarium Hierosolymitanum Lyddam inter et Caesaream ita iacebat, ut viginti sex millia passuum Caesarea abesset, decem millia passuum Lydda; iam eius Gilgalis situs optime conspirat cum illa Mosis denotatione definita, qua montes Ebal et Garisim sunt מוּל הַגִּלְגָּל אֵצֶל אֵלוֹנֵי מֹרֶה; haec loca ut inter se diversa esse doceat et ut utrique sit, qui etiamnum ei respondeat vicus, in Onomastico pro lectione „contra septentrionem", praeeunte Raumer, iniungit Keil lectionem sententiae suae accomodatam: „contra meridiem".] an Gilgal Jardenis intelligenda sit. Hoc posterius veri est simillimum, siquidem respicimus ad idololatriam, qua Gilgal exstat insignita; prophetarum enim societates ex fine suo consilioque, ut postea ostendendum, potissimum versabantur in iis ipsis locis, in quibus maxime vigebat idololatria: ex rei autem natura rationeque, ubi antea summa erat et loci et cultus Dei veri auctoritas et sanctitas, ibidem simulatque a vera religione homines deficiunt, vel propter quoddam rebus illicitis dignitatem afferendi studium vel propter malitiam quandam naturae humanae ingenitam summa improbitatis perversitas domicilium collocare solet. Unde ea Gilgal, cuius sanctitas (Jos. 4, 19. 20, 5, 1—9. 10. 12) ex Josuae aetate originem ducit, haud dubie est eadem, quae postea tum idololatriae tum prophetarum Jehovae contra hanc contestantium fama eminebat.

הַנְּבִיאִים aut omnino fine consilioque intra regnum Judae versatos esse ponatur aut ibi domicilia collocavisse eos, ut qui ex decem tribubus fuerint, modo eam ob causam, quod tanquam ex refugio et ex locis tutioribus consilia sua ad Ephraimitarum regnum spectantia vellent exsequi. Prius illud si accipimus, de iis מִבְּנֵי־הַנְּבִיאִים, quorum alter Achabum coarguit (1 Reg. 20, 35—43) alter Jehuo ultionem a domo Achabi exigendam indicit (2 Reg. 9, 1—10), iudicandum est quod de propheta, qui ex Juda iussu divino Bethelem proficiscebatur ac de Amoso, qui quamvis Judaeus tamen Jehova impellente in Ephraimitarum regnum, de Domini voluntate eos certiores facturus, transgressus est; at quidquid de בְּנֵי־הַנְּבִיאִים memoriae proditur, nullibi reperimus, ex quo eorum congregationem tantummodo ad Judam vel maxime ad Judam valuisse coniectari posset: potius non fit eorum mentio nisi intra mediam regni Ephraimitarum historiam, quam librorum Regum auctor inde ab 1 Reg. 16, 29 tenus 2 Reg. 10 interrumpit modo bis (1 Reg. 22, 41—51 et 2 Reg. 8, 16—29) suo loco quam brevissime interiiciendo, quae de ipso regno Judae consignanda ei videbantur; atque vita Elisaei ipsorum sorte ita exstat tanquam pertexta, ut et hic, quem decem tribubus nemo non potest attribuere, regno Judaeorum esset adnumerandus. Illa autem tribus Beniaminitarum oppida si fuissent modo iis refugium, graviorum in eos inimicitiarum imago proponenda esset, quam quae post Eliae ex Chorebo monte reditum in libris Regum depinguntur: etenim violenta illa insectatio, quam Achabus Isabele Sidonia instigante expromserat, effecta erat

propter siccitatem, cuius Jehovae prophetae auctores habebantur: atque Eliae ipsi capitis supplicium tantum ideo Isabel minitabatur, quod Baalis prophetarum sanguinem profudisset: minime vero ipso Baalis cultu exigebatur, ut Jehovae cultus omnis ferro exstingueretur: unde fieri potuit, ut e. c. vir ille מִבְּנֵי־הַנְּבִיאִים, de quo legimus in 1 Reg. 20, 35 sqq., non solum impunis sed etiam cum auctoritate in ipsum Achabum animadverteret; atque Joramo rege, qui Baalis statuam a patre Samariae erectam removebat et Elisaeum maximi habebat, etiam impeditius in regno decem tribuum illi בְּנֵי־הַנְּבִיאִים versari poterant. Quae quum ita sint, illos, qui Bethele, Jerichunte, Gilgale versantur, בְּנֵי־הַנְּבִיאִים non intra Judae fines, sed in regno decem tribuum occurrere censeamus oportet.

Atque perplurimi societatibus ibi coniuncti fuisse videntur, uti colligere licet ex 2 Reg. 2, 7: ubi quinquaginta ex iis, qui erant Jerichunte, Eliam et Elisaeum procul Jardenem versus secutos esse legimus; porro ex 4, 43 et 6, 1: iuxta illum enim locum, quum Elisaeus, quae per virum, Baalsalisa profectum, oblata erant, distributa vellet inter בְּנֵי־הַנְּבִיאִים, servus cunctatus est, quia centum viris ea non satis essent: iuxta posteriorem autem sedes iis erant mutandae, quod iis recipiendis non sufficiebant. Idem sequitur ex 2. Reg. 2, 16: ubi quinquaginta בְּנֵי־הַנְּבִיאִים Jerichuntii Elisaeum adhortantur, ut ad quaerendum Eliam ire sinat quinquanginta viros strenuos, qui secum sint (יֶשׁ־אֶת־עֲבָדֶיךָ): licet enim hoc intelligi possit de iis, qui inter בְּנֵי־הַנְּבִיאִים servorum munere functi sint (cf. Thenius ad h. l.), tamen vel ex numero servorum

ad ipsorum בְּנֵי־הַנְּבִיאִים numerum coniecturam facere licet; sed ea servorum mentione carere possumus; nam quamvis, ut per illos viros strenuos intelligantur בְּנֵי־הַנְּבִיאִים, pro אֶת־עֲבָדֶיךָ positum malimus בַּעֲבָדֶיךָ, qua enunciatione et hi viri strenui una cum quinquaginta illis בְּנֵי־הַנְּבִיאִים designentur eiusdem arctissimae, quae Jerichunte fuerit, societatis eiusdemque dignitatis participes: tamen et haec ipsa praepositio אֶת pro virili parte non nihil apta esse potest, quae has prophetarum societates non certos quosdam et seclusos, qui finguntur, ordines, sed conventus quosdam eorum fuisse innuat, qui negotiis ex officio satisfacientes huc illinc simul occasione data aderant. Sed hac de re infra videbimus

Domicilia autem iis fuisse communia, ubi una habitaverint, nec ex 2 Reg. 4, 38 sqq. sequitur nec ex 2 Reg. 6, 1 sqq. Nam etsi iuxta locum priorem pulpamentum quoddam edentes una assident, tamen indidem domicilia communia non sequuntur; nec id quidem potest satis effici, ut quotidie eos una coenare solitos esse existimemus, quoniam tum eorum inopiae et egestati per annonam factae succurrit Elisaeus*): etenim in Jorami annorum duodecim regnum cadunt septem caritatis famisque anni, neque dubium est quin ad hos spectet illa quoque annona, quae memoratur in 2 Reg. 4, 38**). Potius, si quae produntur inspicimus

*) Idem observandum denotat Oehler (Herzog Realencyclop. p. 220 sub v. Prophetenthum d. A. T.)

**) Hanc annonam ab illa non esse diversam veri simile est et ex duplici illa miraculorum per Elisaeum Joramo rege editorum serie, quarum altera (ab initio capitis IV, tenus vers. VII

simpliciter, id ex 2 Reg. 4, 2 verisimillimum esse videtur, habuisse quemque, ut ipsum Elisaeum (cf. 2 Reg. 5, 9; 6, 32), domum vel sedem propriam: quam qui fuisse sentiunt modo iis, qui uxores duxerint, ad sententiam suam fulciendam afferunt 2 Reg. 6, 2. Keil enim (ad 2 Reg. 6, 1 sqq. p. 374) dicit illud יֹשְׁבִים לְפָנֶיךָ quidem in versu primo significare locum modo conventus, verum לָשֶׁבֶת שָׁם in versu secundo innuere magis habitationis locum: atque Thenius (ad h. l. p. 291), quia לָשֶׁבֶת שָׁם non apte possit verti: „ut ibi sedeamus,“ certe illum conventus locum in aedificio ipso, quod idem cameras continuerit, fuisse coniectat; at hae coniecturae nisi aliunde confirmantur, primo obtutu concidunt, quoniam ad illud לָשֶׁבֶת שָׁם ultro accedit enunciato לְפָנֶיךָ, quae in versu praeeunte diserte adiungebatur.

Jam videndum, quid sibi velit enuntiatio שֶׁבֶת לִפְנֵי פ׳. Atque יָשַׁב quidem saepius adhibetur ad designandum statum magistratuum, regum, iudicum cf. Ps. 9, 8; 55 20; 122, 5 all; ac verbum עָמַד de iis dicitur, qui verecunde eius qui sedet sententiam et mandatum excipiunt, cf. Ex 18, 13: ubi de Mose populum iudicante scribitur וַיֵּשֶׁב מֹשֶׁה, de populo qui res dirimendas et constituendas profert וַיַּעֲמֹד הָעָם עַל־מֹשֶׁה; 1 Reg. 22, 19: ubi Jehova describitur יֹשֵׁב עַל־כִּסְאוֹ, angelorum exercitus עֹמֵד עָלָיו: pro עָמַד עַל in versu 21 ponitur de quodam ex his angelis וַיַּעֲמֹד לִפְנֵי יְהוָֹה. Haec enuntiatio עָמַד לִפְנֵי פ׳ usurpatur e. c. de iis, qui dicto regis

capitis VI) ad res valet privatas, altera (inde a VI 8) ad publicas. (De ratione, qua narrationes illas auctor librorum regum composuit, cf. Keil, Com. zu d. BB. der Koen. p. 348 sq.)

audientes sunt, 1 Reg. 1, 28; 10, 8 all.; de prophetis vel sacerdotibus, qui Jehovae servos se esse profitentur, 1 Reg. 17, 1; 18, 15; Deut. 10, 8 all. Verum שֶׁבֶת לִפְנֵי פ׳ non tam servientis conditionem significat quam eos, qui familiarius interrogant, consulunt, audiunt eum, cuius auctoritatem agnoscunt et cui confidunt; cf. Ez. 8, 1 et 20, 1; ubi seniores venerunt ad prophetam, qui Dei consilium secum communicet; 33, 31: ubi de iis, qui alius alium adhortati: „Itote et audite quod verbum ex Jehova proficiscatur“ ad prophetam venerunt, legitur וַיֵּשְׁבוּ לְפָנֶיךָ; simili modo Zach. 3, 8 sacerdotes illi, qui convenerunt ad sacerdotem magnum, dicuntur sedentes coram sacerdote magno: neque vero hoc modo designantur quatenus ei serviunt eique sunt dediti, sed quatenus circa eum, qui auctoritate eminet ad res sacerdotii inquirendas tunc concionati sunt. Juxta hos locos reiicienda est eorum opinio, qui illud יֹשְׁבִים־לְפָנָיו (2 Reg: 4, 38), יֹשְׁבִים־לְפָנֶיךָ (6, 1) ad eos trahunt, qui duce aliquo una habitent.

Sed ad refellendam eam quoque sententiam, qua interpretes, quod scio, cuncti, quamvis de rebus quas illis בְּנֵי־הַנְּבִיאִים discendas fuisse vel quibus eos institutos esse volunt et instructos dissentientes, discipulos eos reddunt eorumque societates appellant scholas, adhuc partem demum argumentationis proposuimus; etenim, vel non diserte (uti postremo Thenius ad 2 Reg. 4, 38) vel expresse (uti postremo Oehler l. c. p. 220), respiciunt simul ad illud בְּנֵי־הַנְּבִיאִים, cui in 2 Reg. 4, 38 adiungitur: יֹשְׁבִים לְפָנָיו· Qua de causa iam inquirenda designatio בְּנֵי־הַנְּבִיאִים· Etenim vox בֵּן, ubicunque sensu translato usurpatur, significat

conditionem eius, qui vel dignitate vel auctoritate est aliquo inferior: ita in Jud. 17, 10 Micha levitae illi, qui erat נַעַר, propter eam, quae inest sacerdotio, dignitatem dicit: „Esto mihi לְאָב וּלְכֹהֵן“, se ipsum hoc modo filium esse profitens; Benhadad rex designatur filius prophetae, 2 Reg. 8, 9. Joramus et Joasus Ephraimitarum reges prophetam appellant אָבִי, 2 Reg. 2, 12. Quo sensu iuxta haec exempla vox „filius“ occurrit, eodem et illud בָּנִים in enuntiatione בְּנֵי־הַנְּבִיאִים interpretandum est: neque enim usquam in T. V. exstat locus, ubi בֵּן idem sit ac discipulus sensu strictiori dictus vel scholae cogitationem suggerat: nam et in Ps. 34, 12, ubi dicit David: „Ite, filii, audite mihi, timorem Jehovae vos docebo“ atque in illo „mi fili“ Proverbiorum non alloquitur „magister discipulos“, sed commonefiunt in universum, qui, quae spiritu divino pronuntiata sint gravia, libenter excipiant: nisi forte quis totam domum Israelis nominare vult scholam, quum Jehova, Jes. 48, 17, dicit se eam docturum esse, ex quo proficiat: vel ceterarum tribuum Israelitas afficere nomine discipulorum, quum tribus Levi iubetur filios Israelis docere omnia Jehovae praecepta, Lev. 10, 11. Quodsi retinemus illam vocum בֵּן et אָב virtutem, quae exstat in locis quos allegavimus, בְּנֵי־הַנְּבִיאִים sunt ii, qui habent cuius cum auctoritate dignitatem observent. Sed hinc alia quaestio proficiscitur: nempe qui factum sit, ut haec notio iis peculiaris et tanquam κατ' ἐξοχήν inderetur (cf. 1 Reg. 20, 35; 2 Reg. 2, 3. 5. 7. 15; 4, 1. 38; 5, 22; 6, 1; 9, 1), quum e. c. Joramus et Joasus tanquam occasione data, prophetam appellando, filios se de-

designant. Uti enim in libris T. V. posteriorum aetatum prophetae sequuntur vestigia prophetarum priorum; uti vates, qui munere fungebantur inde ab ea aetate, quae Chaldeorum regno insignitur, accommodant se ad eos, qui Assyriis valentibus vaticinabantur, e. c. Zephanias ad Jesaiam: uti eiusdem aetatis prophetae respiciunt ad ea, quae cum gravitate effatus est propheta aequalis, vates iuvenis adiungit se ad ea, quae edixit aequalis natu maior, e. c. Ezechiel ad vaticinia Jeremiae: ita simili modo illi, qui Eliae et Elisaei tempore una exstiterunt, prophetae plurimi ad vim muneris sui adaugendam ultro innitebantur iis viris, quorum auctoritatem divinitus videbant iam multifariam comprobatam: hos, qui erant „Israelis currus et equites“ (2 Reg. 2, 12; 13, 15), agnoscebant esse sibi patres; „coram his sedebant“, i. e. conveniebant ad eos, ut temporum cum pravitate angustiis circumventi consulerent, quid faciendum esset, atque comperirent, quae illis coelitus revelata essent et praecepta, quae cum fructu in suum munus ipsi transferrent. Propter hoc commercium vivum et propter hanc arctiorem cum iis viris consuetudinem, quorum auctoritate, tum inter omnes iam constante tum altius iam demissa in civium animos, se ipsos verbaque sua fulciri volebant, designatio maxime iis attributa est „filiorum“.

Hoc modo iuxta enuntiationis שֶׁבֶת לִפְנֵי פ׳ sensum et vim vocis בֵּן, quam tum per se tum cum illa coniunctam examinavimus, recedit illa scholarum prophetarum cogitatio, quae quamvis ad prophetiae ideam aetate recentiori propior admota sit, iusto ex Testamenti Veteris locis argumento caret omni. Atque

scholae denotatio quum ne eo quidem sensu, quo e. c. apud Graecos aut his diebus eos, qui ex philosophi cuiusdam vel viri cuiusdam praeclari parte stant, scholam eius nuncupare solent, in prophetas illos transferri possit, quia hoc modo sententiarum ad studia et artes pertinentium earumque propugnationis cogitatio attraheretur: non alia designatione congregationes illorum prophetarum aptius significantur quam nomine societatum. Cum cogitatione autem scholarum simul concidunt, quaecunque illis בְּנֵי־הַנְּבִיאִים vel discenda vel exercenda imposuerunt*).

Jam ad munus illorum בְּנֵי־הַנְּבִיאִים accuratius describendum ita accedimus, ut primum ostendamus quod fuerit, deinde quale fuerit.

---

*) Hoc enim in genere in duas partes discedunt interpretes: alii scholas fabricant regulis praeceptisque externis constitutas, quas dicunt et academias, academiolas, collegia, gymnasia (cf. Altingius, Historia academiarum Hebr. in Dissertt. Acad. Heptade, Opp. Tom V. p. 242 sqq.; Lightfoot, Centur. geogr. Matthaeo praemissa c. 97; Petr. Molinaeus, Vates L. I. c. 18; Vitringa, Zinck, all.): ibique filios istos ex ordine institutos et instructos esse artibus studiisque, inter quas alii (cf. Vitringa de synag. vet p. 361, Rabbinis praeeuntibus, fuisse affirmant et philosophiam totam, alii eruditionem filiorum, quos hi appellare solent „studiosos sacrarum litterarum,“ „scholasticos,“ „candidatos theologiae,“ pertinuisse volunt modo ad Judaeorum theologiam et religionem (cf. Gulichius in מבוא הנביאים ad Am. 7, 10–17; Zinck, Dissert. philol. de prophet. scholis, def. praeside Kahlio p. 23; Hering, Abh. von d. Schulen d. Proph. p. 35 sq.; Redslob, der Begriff des Nabi, p. 39, 40 infra; all). Alii discipulos istos scholarum vinculis arctissimis quidem eximunt statuuntque solutiorem quandam ad res divinas quod attinet institutionem et exercitationem (cf. Knobel, Prophetismus der Hebr. Th. I. p. 47; Oehler l. c. p. 215).

Ad illud quod attinet, in designatione בְּנֵי־הַנְּבִיאִים vel cum ipsa enuntiatione שֶׁבֶת לִפְנֵי coniuncta nequaquam inesse vidimus, quod prorsus illi ex alio quodam tanquam pependerint, sed conditionem eorum, quibus quamvis ultro et sua sponte prophetae cuiusdam auctoritate utentibus, ipsorum auctoritas et dignitas prophetica permaneant integrae. Id quod apparebit et ex iis quae iam explicanda sunt. Ac primum quidem denotandum est nusquam in libris Regum deprehendi significationem בְּנֵי־הַנָּבִיא, sed solum numerum Pluralem בְּנֵי־הַנְּבִיאִים: quamquam e. c. post Eliam in coelum evectum cum iis, qui appellantur diserte בְּנֵי־הַנְּבִיאִים, tantummodo unum Elisaeum videmus versantem*). Ita in 2 Reg. 4, 38 memorantur הַנְּבִיאִים, ubi si simplicem historiae narrationem observamus, illi בָּנִים non versantur nisi cum uno Elisaeo; eodem modo ex 2 Reg. 6, 1 sequitur non adfuisse הַנְּבִיאִים, sed unum Elisaeum, quem voluerint proficisci secum ducem. Quae quum ita sint, enuntiatio בְּנֵי־הַנְּבִיאִים, si vertenda esset per „filios prophetarum", aut tam trita et tam fixa esset eorum designatio, temporum serie demum effecta, ut e. c. ea aetate, qua libri Regum conscriberentur, i. e. quum Judaei essent in Babylonia exsules, et ibi ea usurparetur, ubi unius prophetae occurrerent filii: quid quod Elisaeum ipsum, ubi pulpamentum coqui iubet, de iis, qui eum habebant patrem, dicentem faceret auctor, illi verborum sono semel

*) Unde Hering (l. c. p. 52) coniectaverat per הַנְּבִיאִים intelligendos esse plures praeceptores theologicos, qui iussu Elisaei in academiis filios edocuerint.

assuefactus, non: coque pulpamentum לְבָנִים vel לָהֶם, sed לִבְנֵי־הַנְּבִיאִים (2 Reg. 4, 38), aut illud בְּנֵי־הַנְּבִיאִים vertendum est non „filii prophetarum“, sed „filii prophetae“, quum notiones per Genitivum cum voce priori coniunctae haud raro appositionis locum teneant; cf. אֵשֶׁת בַּעֲלַת אוֹב (1 Sam. 28, 7), ubi mulier ipsa est ea, quae habet pythonem; נְהַר פְּרָת (Gen. 15, 18); בְּתוּלַת בַּת עַמִּי (Jer. 14, 17) all.; eodem modo numerus Pluralis cum statu Constructo coniungitur, e. c. Zeph. 3, 10 בַּת־פּוּצַי, ubi ii, quos dicit Dominus dispersos, filia ipsius sunt: ita et per illud בְּנֵי־הַנְּבִיאִים filii iidem designari potuerunt prophetae. Quae res utcunque se habet, id quidem et ex significatione נָבִיא iis indita in 1 Reg. 20, 38. 41. 2 Reg. 9, 4 patescit habitos esse eos filios et vere prophetas, i. e. qui et ipsi, pro sese quisque altiori cum Deo consuetudine fruentes, verborum abs Jehova profectorum in cor suum receptatores fuerint atque interpretes.

Etenim in 2 Reg. 9, 4 adolescens ille, qui in versu primo dicitur אַחַד מִבְּנֵי־הַנְּבִיאִים, appellatur הַנָּבִיא; qui in 1 Reg. 20, 35 vocatus est אִישׁ אֶחָד מִבְּנֵי־הַנְּבִיאִים, idem in versu 38 insignitur per הַנָּבִיא; atque in versu 41 tota illa societas, cui ipse adnumeratur, afficitur nomine הַנְּבִיאִים. Jam haec notio נָבִיא, iis indita, sufficeret ad eos redarguendos, qui istos reddunt alumnos et tirones omnino tantum antistitum verba praeeuntium nutum et permissionem sequentes; etenim quatenus dicitur quis נָבִיא, sive donum ei est prophetiae sive munus, non valet in eum auctoritas humana, sed solus Jehova, cuius verborum scaturigine

impletus exstat interpres*), ipso est superior. Eandem ad rem בִּדְבַר יְהוָה et כֹּה אָמַר יְהוָה faciunt, quae sibi vindicat ille filius propheta, qui propter Benhadadum dimissum animadvertebat in Achabum (1 Reg. 20, 35. 42); דִּבֵּר enim et אָמַר ubi Jehovae assignantur, non merae sunt voces, quas addunt prophetae ad sermonem ornandum, sed actionem significant et efficientiam Jehovae interiorem, qua prophetae ita corripiebantur ut exin in sola Dei essent potestate**); atque ipsorum verbis divinitus inditis qui non obtemperabat, is non

*) Non suo iure Gesenius in Lexic., Haevernick all., ut נָבִיא nihil nisi internuntium, interpretem esse comprobent, ad Ex. 7, 1 provocant: nam hic ipse locus quam maxime interpretationi priori favet; nam Moses iuxta eum ad Aaronem se habet, ut Deus ad prophetam: Moses, qui cum Deo comparatur, is est, qui ut alias Deus prophetae, hic ipse Aroni verba et voluntatem suam indit: Aaron autem is est, qui verbis Mosis est impletus; quodsi conferimus cum hoc loco cap. 4, 16, ubi Moses dicitur אֱלֹהִים, Aaron eius os, neutiquam sequitur vocem נָבִיא, loco priori obviam, sensu nihil differre ab hoc הוּא יִהְיֶה לְּךָ לְפֶה; potius illa se habet ad hoc ut effectus potentiae divinae interior ad exteriorem vel ut instrumentum ad finem: ei enim, cui munus est prophetae, induuntur verba, ut verba indita enuntiet (cf. Deut. 18, 18, ubi: „Dabo verba mea in os eius“ respondet illi: „Aaron frater tuus erit נְבִיאֶךָ; atque „Ipse (sc. Aaron) erit tibi os“ congruit cum iis verbis, quae enuntiationem illam Deuteronomii insequuntur: „Et dicet eis, quaecunque ei praecepero“): unde ad notionem נָבִיא simul accedere potuit oratoris divini certe cogitatio. Id ipsum addendum ad ea, quae Redslob „Der Begriff des Nabi“ ex forma vocis נָבִיא grammatica colligit p. 3—5.

**) Haec verborum דִּבֵּר et אָמַר vis, effectum potentiae Jehovae indicans, exempli causa quam maxime patet, ubi et animalia Deum scribitur alloqui; ita apud Jonam legimus „וַיֹּאמֶר יְהוָה לַדָּג et evomuit piscis Jonam in aridum.“

obediebat „voci Jehovae“ (1 Reg. 20, 36) summoque supplicio iussu Jehovae afficiebatur (ib.).

Ceterum ex 2 Reg. 9, 1 sqq., ubi Elisaeus quendam ex filiis Jehuo ultionem, a domo Achabi exigendam, indicare iubet, illos בְּנֵי־הַנְּבִיאִים foras tum ad vires exercendas tum ad virtutem propheticam tentandam amandatos esse a praeceptoribus tantummodo ii concludere queunt, qui scholas suas praeiudicatas nusquam non secum portant*). Neque enim ex eo, quod promptum sese offert filius propheta ad Elisaei dictum exsequendum, aliud sequitur, ac fuisse eum debita in verbum Dei obedienta; eadem obedienta exserenda erat, ubi filius propheta ille, de quo legimus in 1 Reg. 20, 35 sqq., sodales suos iubet se verberare: alter obtemperat, in alterum, quum renueret, animadvertebat Jehova (1 Reg. 20, 36). Nec haec obedienta tantummodo filiis, si vel per filios loquebatur Jehova vel per eum, quem appellabant patrem, imposita erat priva et singularis, sed Israelitis cunctis: quippe edicit Dominus in Deut. 18, ubi Jehovae prophetae specie personae *idealis* depinguntur: „Quodsi quis meis verbis, quae nomine meo locutus fuerit (sc. propheta), non obtemperabit, in eum animadvertam Ego“ (v. 19 cf. v. 15). Ergo et ex illo obedientiae exemplo non recte efficitur tiro vel discipulus, nec, ut indidem patet, verba, quae praeierat Elisaeus, ad Jehuum perfert ille filius**)

*) Cf. e. c. Winer, qui alumnos suos interdum abs prophetis delegatos esse vult „zu praktischer Probe.“ (Realwoerterb. II, p. 335 sub fin.)

**) Siquidem concedimus brevitatis causa ad verba, quae in versu tertio allegantur, non addidisse auctorem, quae a versu septimo ad decimum expresse legantur.

quatenus ipse erat נָבִיא (2 Reg. 9, 4; — 1 Reg. 20, 38. 41), nisi forte quis hunc sensu eo significatum esse vult prophetam*), quo Aaron dictus sit propheta Mosis. Hoc, quod scio, adhuc nemo defendere tentavit, quum נָבִיא, nisi aliud vel ex contextu patet vel diserte denotatur, idem sit ac נְבִיא־יְהוָֹה**). Ita et ceteri filii, quum significantur נְבִיאִים (cf. 1 Reg. 20, 41. 38), sunt נְבִיאֵי־יְהוָֹה.

In hos filios quadrant et omnes notae tum interiores tum exteriores, quibus non tirones quidam, sed perfecti Jehovae prophetae describuntur: Deut. 18, 18—22; 13, 2—6. Hîc enim duplex notarum, quae designent eos, classis proponitur: altera ad interiores res spectat, altera ad exteriores; altera ad animum hominis vaticinantis pertinet, quem necesse sit sibi conscium esse se altiori a Deo agi impetu et, quae divinitus afflatus receperit, effari; altera ad verba eius

*) Keil et Thenius illud הַנַּעַר הַנָּבִיא interpretantur: „servus prophetae“; provocando ad articulum nomini regenti ibi additum, ubi eius nominis cum Genitivo coniunctio minus arcta sit et stricta; at quaecunque exempla hoc in genere exstant, ita sunt comparata, ut iterandum sit nomen statu constructo positum: ita הָאָרוֹן הַבְּרִית est ad sensum quod attinet הָאָרוֹן אֲרוֹן הַבְּרִית; eodem modo הַנַּעַר הַנָּבִיא esset הַנַּעַר נַעַר הַנָּבִיא: nunc vero ea notio, quae hoc modo per הַנַּעַר exprimeretur, iam expressa est per notionem הַנַּעַר, quae diserte antecedit illi הַנַּעַר הַנָּבִיא. LXX iam habent recte *τὸ παιδάριον ὁ προφήτης*. Keil interpretationem suam ita defendit, ut הַנָּבִיא appositionis locum tenere non posse dicat, quia הַנָּבִיא cum ipsa voce הַנַּעַר iam sit appositio vocis, quae praecedat, הַנַּעַר: at הַנָּבִיא non tam est appositio sensu dicta strictiori quam correctio quodammodo eius, quae sola antecedit, notionis הַנַּעַר.

**) Cf. Redslob l. c. p. 9. 45.

mireque facta, quae a lege per Mosem data non seducant populum nec, si res futurae annuntientur, careant eventu certo. Ad priorem classem quod attinet, praeter designationem נָבִיא, qua auctor indicat, quid hoc in genere de filiis ipse censeat, tum enuntiationes illae, quas laudavimus supra, בִּדְבַר יְהוָֹה, כֹּה אָמַר יְהוָֹה, בְּקוֹל יְהוָֹה (1 Reg. 20, 35. 42. 36) huc referendae sunt tum fiducia ea, qua illi, qui erant Bethele et Jerichunte, filii Eliam tunc ab Jehova ablatum iri affirmant (2 Reg. 2, 3. 5). Posterioris autem classis notis ut eos metiamur, praedictiones eorum exitum suum habuisse allegandum: ita praedictum illud de Eliae in coelum raptu, 2 Reg. 2, 11; comminatio in eum, qui recusabat quominus filium prophetam verberaret, 1 Reg. 20, 36; comminatio illa, quae a Micha confirmabatur, 1 Reg. 22, 17, in Achabum propter Benhadadum dimissum, 1 Reg. 20, 42 cf. 22, 34 sqq.; atque lex Mosaica, quae est secunda huius classis nota, libertatis exstat fundamentum, in quo ipsorum verba factaque erant posita: ita supplicium illud, quod comminatur filius propheta, 1 Reg. 20, 36, positum est in Deut. 18, 19; quod autem Achabo in 1 Reg. 20, 42. 43 annuntiat: „Vita tua erit pro eius vita et populus tuus pro eius populo", respicit ad legem eam, ex qua homines, a Jehova devoti anathemati, interficiendi erant: Lev. 27, 29. Sed disquisitio, quomodo ad legem se habuerint בְּנֵי־הַנְּבִיאִים, accuratior iam spectat ad alteram partem, ubi quale fuerit munus eorum demonstrandum est.

Ita usquedum non reperimus, quae hos בְּנֵי־הַנְּבִיאִים reddant nihil nisi tirones, qui nondum ita fuerint ex-

culti et edocti, ut sub potestate vel praeceptorum vel antistitum, eorum verba factaque inspicientium atque enixe observantium, retinendi essent: immo iuxta ea, quae de iis memoriae prodita sunt, deprehendimus eos et ipsos vere prophetas et vere prophetarum munere fungentes.

Hoc autem munus eorum quale fuerit, tum uno exemplo illo cognoscitur, quod narratur in 1 Reg. 20, 35 sqq., tum ex tota regni Ephraimitarum, quae illo tempore erat, conditione atque ex ratione ea, qua contra hanc conditionem pugnabant Elias et Elisaeus, quos ex horum partibus stetisse apparet maxime ex 2 Reg. 2; 4; 9, 1 sqq. Occurrunt enim in libris Regum hi בְּנֵי־הַנְּבִיאִים, ut supra memoratum, ea aetate, qua, postquam inde ab Jerobeamo Primo ad regni raptum sustentandum cultus vitulorum patrocinium ab regibus usurpatum est, Achabus aedem Baali exstruendo, constituendo eius altare, Ascheram adorando, lucos consecrando, omnia idolis implendo, Phoenicum cum auctoritate regia publice introducebat idololatriam; hanc, quamvis Joramo, Achabi filio, statuam Baalis removente faventeque vitulorum cultui, cum vigore perduravisse, iam ex iis constat, quae de Jehuo in Baalis et sacraria et sectatores saeviente produntur in 2 Reg. 10 (v. 18—28). Atque Jehovae adorationem etsi neque per vitulos neque per Baalem aut Ascheram Ephraimitae voluerunt obrogatam, tamen cultus iis erat, non a Jehova institutus, sed ab iis, qui sui animi cogitationibus ducti confingebant et comminiscebantur sibi propriam quandam Jehovam adorandi rationem: qui in suae utilitatis et potentiae gratiam a praeceptis

Dei deflectebant atque ex iis retinebant modo ea, quae cum suis commodis possent exaequare: qui ipsa regni cum violentia institutione idque omnibus, quîs valebant, viribus servandi studio acerrimo probabant se non confidere uni Deo, non unum Deum se timere et diligere, sed alio quoque se itare, se petere, rogitare, scrutari quid sibi auxilio esse posset, perquirere quid aliis emolumento esset, quod captarent, ut ipsi quoque, gentilium deos sibi vindicantes patronos et defensores, eiusdem emolumenti fierent participes: dictitaverint vitulorum imagines modo symbola esse Jehovae*), Jehovam se subintelligere Baali**), revera vitulus et Baal nihil erant nisi mera idola***). In hoc regni statu, ubi insuper sacra a maioribus accepta, profecto non iam sacra! coinquinabantur profanorum sacerdotum in profanis sanctuariis ministeriis: non rite ea observabantur per Levitas ministrosque Jehovae legitimos, qui obscoenis sacrificiorum sive dapum locis relictis ad Dei sedes in Judaeam aufugerant: ubi una cum gentilium idololatria prava morum perversitas, voluptas, adulteria, cum ethnicorum sacris coniungi solita, invecta erant:

*) Jerobeamus si dicit: „Ecce dei tui, Israel, qui eduxerunt te e terra Aegypti", ex Hebraeorum more signum et ὑπόμνημα ipso rei designatae nomine exprimit. Cf. Vitringa, Observ. s. L. III c. XXIII p. 336; praeterea cf. Hengstenberg, Beitraege II p. 176; Christol. ed. II, tom. II p. 195.

**) Cf. Hengstenberg, Beitraege II p. 128; Christol. p. 285. 302.

***) Ita Scriptura sacra Jerobeami boves, quorum adorationem habet peccatum etiam minus quam Baalis adorationem (cf. 1 Reg. 16, 29—33; 2 Reg. 3, 2. 3), sine ambagibus nominat אֱלֹהִים אֲחֵרִים et שְׂעִירִים, sacerdotes eorum כְּמָרִים (1 Reg. 14, 9; 2 Chr. 11, 15; Hos. 10, 5). Cf. Hengstenberg, Beitr. II, 159 sq.; 165.

ubi tamen eius populi pars maior habitabat, quem, Abrahami prolem, Jehova sibi elegerat, ut per eum regnum suum inter gentes omnes constitueret, quem revocare studebat et retrahere ad pristinam, qua natus erat pietatis et amoris erga „factorem“ et parentem verum simplicis et genuini conditionem: ibi reperimus vividam illam atque vegetam prophetarum agitationem, quos, Elia et Elisaeo ducibus, per societates arctissime coniunctos offendimus in libris Regum nomine בְּנֵי־הַנְּבִיאִים. Atque ad res istas, quas prophetarum tum vitulorum tum Baalis turba magna, regni Ephraimitarum praesidium ac propugnaculum validum, contra Jehovae praecepta praevaricando defendebant, quomodo illi, quos ipsos cognovimus vere prophetas, se habuerint et munus inter istum populum degenerem quale fuerit, ut iam ex eo colligere licet, quod ille filius propheta in 1 Reg. 20, 35 sqq. regi, in legem Jehovae peccatori, libere et aperte poenam in ipsa lege fundatam annuntiat, ita et ex Eliae atque Elisaei historia constat filios quoque fuisse fidos et veros Jehovae servos, qui nulla in re istius regni vitiis indulserint*); immo quod so-

*) Quamquam sunt, qui ab Elia vitulorum cultum contendant non esse impugnatum nec agnitum sanctuarium unum. Illud Eichhorn (Allg. Bibl. der bibl. Litt. IV. p. 195) concludit ex eo, quod non queritur Elias de vitulorum cultu in Reg. 19, 14; at certe ex his verbis, quae effatur ibi propheta stomachose: ergo graviores adversariorum iniurias potissimum proferens, id coniectari non potest; ac quisnam negare poterit Eliam cogitasse simul de vitulorum sectatoribus, quum dicebat: „Filii Israelis foedus Tuum deseruerunt“. Quod autem in c. XX. eorum non exserte mentio fit, neutiquam mirum: nam in hoc capite, sicuti in tota fere, quae ad Achabi tempus spectat, historia, excepto c. XXII ubi in gratiam Josaphati vitulorum prophetae arcessuntur, eae tan-

cietatum vinculo adstrictos sese volebant, eo ipso nihil aliud intendebatur, atque ut hoc modo firmius et aptius bellum Jehovae adversus aetatem abiectam gereretur monendo, corripiendo propter peccata commissa, adhortando, homines afflictos et de salute desperantes solatio afficiendo, opem ferendo indigentibus, docendo Jehovae cultores tum singulos tum concionibus coniunctos*). Nec munus eorum quale habendum sit, non apparet ex locis, quibus occurunt: Bethele enim,

---

tum res memoriae produntur, quae ad ipsum Achabum pertinebant; hic autem, quoniam Baali et Ascherae sese addixerat, per Baalis, Ascherae prophetas stipatus erat: in quibus quum ante omnia fiduciam Achabus collocaret, potissimum hos voluit Elias impotentiae suae convinci; cf. v. 18, 19; praeterea cf. Hengstenberg, Beitr. II. p. 143. 145. — Quod autem attinet ad sanctuarium unum, provocant ad 1 Reg. 19, 10. 14 et 1 Reg. 18, 30—32, non assumentes, quantopere differat eorum conditio, qui rebus novis faventes morem gerebant usurpatorum regni voluntati, ab iis qui, intra fines eius habitantes, etsi legis Mosaicae tenacissimi erant, tamen impediebantur, quominus satisfacerent praecepto ei, ex quo uno in loco, ab Jehova electo, sacrificare iubebantur: ac si unquam licebat altaria plura Jehovae erigere, quum nondum effectum esset illud Deuteronomii: „Si quietem dederit vobis ab omnibus inimicis vestris circumquaque, ut habitetis secure“ (12, 10), profecto tum, praesertim initio regni Achabi, quum haec requies, haec securitas ab ipsis Israelitis disturbata esset eoque modo illa sanctuarii unius conditio disiecta, hi fideles in statum eum redacti erant, in quo et iure divino permissum eis erat, ut in certis quibusdam locis, ne et ipsi intra multitudinis peccatoris turbam pietatis facerent iacturam, convenirent et in iis, per aras erectas sanctitatem quandam iis adiungentes, pietati suae satisfacerent; praeterea cf. Hengstenberg, Beitr. p. 143. 144.

*) Cf. et 2 Reg. 4, 23; ibi ut Eliam patet novilunia et sabbata cum Israelitis piis solemniter egisse, ita et prophetas ceteros certis diebus fidos suos, quorum confirmarent animos, convocasse veri est simillimum.

Jerichunte, Gilgale, quae urbes superstitionibus, cultus vitulorum et idololatriae fama praeter ceteras excelluerunt, videmus eos versantes, haud dubie ut ibi potissimum adorirentur hostem, ubi castra haberet principalia*).

Jam munus filiorum prophetarum quod et quale fuerit vidimus; ex disquisitione posteriori simul intelligitur cum muneris illius temporis tam gravitate quam difficultate plane congruere illum numerum eorum, qui auxilii divini numinisque praesentis pignoribus exstructi tali munere fungerentur, insolitum: quo qui offenduntur**), hac offensione sua profitentur se neque damna illius regni perspexisse, quae non consistebant in quadam rerum civilium labe et in cultus Dei tantum mendo quodam externo, verum enim vero in profunda cordium, animorum, voluntatum vitiositate et perversitate alta, ex qua menda illa externa emanabant: neque

*) Cf. et Hengstenberg, Beitr. II p. 145. 146. Sed denotandum est, quamvis prophetiae vim virtutemque in illis perversitatis locis primariis et capitibus exseruerint, tamen ab hac re quaestionem eam seiungendam esse, ubi sedes posuerint conventuum suorum: has enim si de industria ibidem erexissent, non elegissent locum quendam in valle Jardenis remotum (2 Reg. 6), sive ipsam Gilgalem cum eo commutaverunt (id quod est versimillimum) sive ex oppido alio illuc descenderunt. Potius ad conventuum finem, de quo supra disputavimus, ipsa locorum transquillitas aptior fuisse videtur.

**) Cf. Zinck l. c. § 20—23; Hering l. c. p. 45; ita ille (ceterum recte pugnans contra eos, qui prophetiam nihil reddunt nisi rerum futurarum praesagitionem), postquam filiis futurarum rerum contingentium praedictionem omnino fuisse negavit, addit: „Hinc emanat quoque nullo loco numerandam, sed habendam nauci fuisse tunc temporis vaticinationem ob incredibilem prophetarum multitudinem, id quod tamen non legimus relatum.“

cognitum habere gravissimum totius ecclesiae periculum et discrimen, quod inde ortum esset, si Deus facultatum suarum copiam divinam ecclesiae Suae eversoribus cum potentia et gravitate non opposuisset*).

Quodsi breviter summatimque comprehendimus, quae de illis בְּנֵי־הַנְּבִיאִים ex libris Regum patere et redundare vidimus, hae, quae sint momenti, notae prodeunt: erant veri Jehovae prophetae perfecti (נְבִיאִים), qui, uti prophetae S. Codicis Veteris verbis prophetarum aetate priorum, per litteras consignatis, sese applicando suisque dictis hoc modo gravitatem afferendo efficiunt invictam illam, quam dicit Josephus, ἀκριβῆ διαδοχήν, ita effatis insignium prophetarum aequalium, per vocem vivam exceptis, innitendo hos eosdem, quorum quidem auctoritas a Deo largiter iam comprobatam se praebuerat, antistites paternos et consiliarios validos cognoscentes et ultro agnoscentes (יֹשְׁבִים לִפְנֵיהֶם — בָּנִים) exstant societas concors et acies Jehovae numinis afflatu ad regnum Dei, per idololatriae perversitates intra tribuum decem fines collabefactum, cum virtutis intrepidae vigore defendendum atque sustentandum excitata**).

*) Eadem dicenda sunt contra eos, qui, ut postremo Thenius, propter suam, quam vocant, miraculorum accumulationem historiam statuunt fama corruptam (Commentar. in: d. B. d. Koenige, praef. p. VII). Nam et iis miraculis, quae coram filiis prophetis edebantur, sive per beneficia valebant ad fidem excitandam et confirmandam (cf. 2 Reg. 4, 41. 43. 44; 6, 6) sive per sese pertinebant ad persuadendum (cf. 2 Reg. 2, 14), id agebatur, ut illa prophetarum acies, vice Jehovae belligerans, fiduciae et fortitudinis incrementum caperet.

**) Cetera, quae hac prophetarum horum definitione non exserte denotavimus, ad rei quidem caput non pertinent, sed, uti

CAPUT II.

De iis prophetarum societatibus, quae Samuelis aetate commemorantur.

De societatibus prophetarum, quae Eliae et Elisaei aetate vigebant, disseruimus; ad secundam disquisitionis

---

quae adhuc exposuimus, idonea sunt ad eorum sententiam, qui rebus levioribus insistentes monasterii cogitationem ullam illis societatibus imponunt, tum refellendam tum abrogandam. Haec enim ab iis aliena est, quaecunque eius species historia ecclesiae expressa affertur. Tentemus, num cadat in eas triplex monasterii forma, quae effingitur per *ἀσκητάς, ἀναχωρητάς, κοινοβιώτας*. Ac primum quidem illi בְּנֵי־הַנְּבִיאִים non fuerunt ascetae sensu eo, quo de industria a vitae bonis et commodis omnino se reciperent; certiores enim reddimur de connubiis eorum (2 Reg. 4, 1 sq.): nec, quamquam negari nequit et ipsos fuisse perpetuo ea, qua prophetae Jehovae degere solebant, continentia vitae et simplicitate, cibus ille vilis (2 Reg. 4, 39 sqq.) huc referri potest, quoniam annonae egestate tum regnum totum premebatur. Porro anachoretarum seu eremitarum notio abest ab iis iam propter munus eorum et officia, de quibus supra disseruimus: insuper huiusmodi vitae eorum, qui ab oculis vulgi remoti in solitudine et piis curis studiisque tempus transegerint, in toto Testamento Vetere ne vestigium quidem deprehenditur. Coenobia autem sunt ea, quae aut ascetarum una cum anachoretarum specie ideam retinebant aut solam *ἄσκειαν*; cum illa coenobiorum forma primus Hieronymus comparat has societates, quum scribit: „Filii prophetarum, quos monachos in Veteri Testamento legimus, aedificabant sibi casulas propter fluenta Jardenis, et, turbis urbium derelictis, polenta et herbis agrestibus victitabant" (Ep. ad Rustic. de forma vivendi): contra hanc opinionem valent eadem, quae de ascetis diximus et anachoretis: praetera vidimus supra, neutiquam aut ex 2 Reg. 6, 1 sqq., quem locum laudat Hieronymus, aut ex 2 Reg. 4, 38 sqq., ubi una vescuntur pulpamento quodam,

partem progrediamur, qua in eam prophetarum copiam, quam aetate Samuelis fuisse commemoratur, ita inquiremus, ut tum de his ipsis quae iuxta narrationem, occasione data ab auctore librorum Samuelis exhibitam, colligi possint, proponamus, tum conferamus eos cum illis, qui sunt in libris Regum בְּנֵי־הַנְּבִיאִים.

Ad illud accedimus primum. Occurrunt duobus locis, ubi Saulis historia adumbratur: 1 Sam. 10, 5 sqq. et 19, 20 sqq. Juxta alterum „funis prophetarum" i. e. caterva longa (חֶבֶל), quem musici nablio, tympano, cithara praecedunt, ad Gibeam obviam fit Sauli; altero reperimus Naiothis Ramae „coetum prophetarum" (לַהֲקַת נְבִיאִים). Loco utroque ipsi designantur נְבִיאִים (1 Sam. 10, 5. 10. 11. 12; 19, 20. 24), sunt vaticinantes (נִבְּאִים 19, 20; 10, 11; מִתְנַבְּאִים 10, 5; 19, 20). Samuel autem, ipsis vaticinantibus, significatur עֹמֵד נִצָּב עֲלֵיהֶם (19, 20). Atque designatio נָבִיא

---

effici posse, ut et domicilia communia eos habuisse existimemus, immo rem contrariam iuxta 2 Reg. 4, 1 sqq. esse verisimillimam; atque Theodoreti quoque opinio, qui filios circa conventuum locum in casulis vult habitasse, non, uti Thenius coniectat (l. c. ad 2 Reg. 6, 1), in fama ex aetatibus antiquissimis accepta posita est, sed simpliciter in ratione ea, qua suae aetatis res sine mora antiquitati iniungere solent homines: respicit enim ad illos monachorum coetus, qui isto modo primum in Aegypto a Pachomio instituti sunt. Ad alterius autem coenobiorum speciei similitudinem refert has societates Hengstenberg (Beitr. II. p. 146; Christol. ed. alt. p. 405 cf. p. 404); haec comparatio, quoniam istam, de qua vidimus, ἄσκειαν is interpres ipse excludit (cf. ib.), ad sola domicilia communia pertineret: etenim scholarum quoque, quae ibi exstiterint, cogitatio iuxta disquisitionem nostram omnino recedit; domiciliis autem communibus quae accedat verisimilitudo, ex iis patet, quae supra disseruimus de 2 Reg. 4, 38 sqq ; 6, 1 sqq.; cll. 4, 1 sq.

quid sibi velit, supra ostensum*): restat igitur explicandum, quae vis sit verbis נִבָּא et הִתְנַבֵּא, et conditio, his verbis indicata, quomodo se habeat ad illud שְׁמוּאֵל עֹמֵד נִצָּב עֲלֵיהֶם.

Atque הִתְנַבֵּא quidem valet „prophetam se gerere"; dein omnino ita collocabatur pro „vaticinari", ut quod primitus ad formam externam pertineret, qua prophetae vaticinantes apparerent, in vaticinationem ipsam transferretur. Neque enim coniugatio Hithpael unquam non pertinet ad rationem eam, qua quis offert sese extrinsecus**); hinc saepissime ea exserte sonat: se habere, se praebere, se gerere aliquo modo, cf. הִתְחַכֵּם, se prudentem, callidum praebere, Koh. 7, 16; הִשְׁתַּגֵּעַ, insanum se gerere, 1 Sam. 21, 15. 16; הִתְחַלָּה, aegrum se gerere, 2 Sam. 13, 5. 6: hoc exemplum posterius quam maxime est idoneum, ex quo appareat ille ad speciem formamque externam respectus: nam hic Amnon consulto aegrotationis tantummodo speciem induit: neque vero haec exterior species sola, quae interiori vi vera careat, in ipsa coniug. Hithp. inest, sed in universum exterioris, quae sensibus se offert, formae denotatio; unde non suo iure contendit Vitringa: „τὸ הִתְנַבֵּא vi structurae suae oportet significet fre-

*) Cf. et 1 Sam. 9, 9: ubi significatio רֹאֶה quod a voce נָבִיא expresse discernitur, ideo factum videtur, quod רֹאֶה referebatur magis ad prophetiae donum, נָבִיא simul ad eiusdem munus; id quidem ex hoc quoque loco pro certo apparet, quam non leviter ea notio ad hominem quemlibet translata sit.

**) Huc valent etiam ii loci, quos affert Gesenius ad vim eius coniugationis passivam comprobandam; nam e. c. in Jud. 20, 15 (הִתְפָּקְדוּ) Beniaminitae sunt ii, qui se offerunt recensendos.

quentissimum vaticinandi actum“ (De synag. v. L. I. P. II, c. VII: p. 357); namque coniugationis Hithp. vis, quam vocant, *intensiva* non constat in sola frequentia, sed in eo, quod, quum coniugatione Niphal omnino status quidam significetur, ipsâ exhibetur conditio ea, qua hic status extrinsecus et foras ita effingitur, exseritur, exprimitur, ut ipsis oculis videatur vel auribus audiatur ceterisve sensibus percipiatur. Huc redit et verbi הִתְנַבֵּא a נִבָּא differentia principalis, licet linguae commercio ea ita exaequata sit, ut alterum pro altero reperiatur*). Ceteras significationes, quas vocibus נִבָּא

*) Redslob l. c. p. 7. הִתְנַבֵּא de effectibus prophetiae vehementioribus, subito ruptimque excitatis ac celeriter recedentibus, affectatis, minus honestis dici contendit; per נִבָּא donotari statum habitumque placidiorem et honestiorem; qua de causa et in Joel 3, 1 non הִתְנַבֵּא, sed נִבָּא positum autumat cf. p. 8. At haec et talis discrepantia linguae usu non confirmatur. Nam de ipso Saule, qui illi prophetarum catervae obviam factus spiritu divino subito corripiebatur, tam הִתְנַבֵּא dicitur quam נִבָּא cf. 1 Sam. 10, 10: וַיִּתְנַבֵּא בְּתוֹכָם, cui respondet in v. 11 וְהִנֵּה עִם־נְבִאִים נִבָּא; simili modo in 1 Sam. 19, 20 de prophetarum coetu legitur הַנְּבִיאִים נִבְּאִים deque Saulis nuntiis subinde sequitur illud וַיִּתְנַבְּאוּ גַּם־הֵמָּה: unde patet promiscue hîc ea verba usurpari, nam per particul. גַּם ut coetui prophetarum attribuitur una cum verbo נִבָּא notio הִתְנַבֵּא, ita nuntiis una cum notione הִתְנַבֵּא notio נִבָּא. Haec, siquidem retinemus illam differentiam ab Redslob propositam, sufficiunt ad usum amborum verborum promiscue obvium evincendum. Sed talis differentia, qualem Redslob offert, insuper est omnino reiicienda, quatenus primariam eam esse vult; nam, ut exemplum unum afferam, Ezechieli, cui ipse non dubitabit attribuere illum habitum prophetae *spiritualem* (cf. p. 8), assignatur illud הִנַּבֵּא (s. הִתְנַבֵּא) Ez. 38, 10: idque in medio capite eo, ubi, quum quinquies praecedat notio נִבָּא et

et הִתְנַבֵּא iniungere solent, maxime derivant ex illo וְלִפְנֵיהֶם נֵבֶל וְתוֹף וגו׳ (1 Sam. 10, 5). Ita Abarbanel (ad h. l.) vocem הִתְנַבֵּא interpretatur per: se disponere ad vaticinandum; at huic interpretationi, ut a solo voluntatis arbitrio aliena esse videretur, certo ita tantum aliqua veritatis species afferri poterat, ut aliunde quoque comprobaretur; ex nullo loco ea effici potest; neque enim Elisaeus vaticinaturus quod fidicinem aliquem

semel insequatur, absque dubio ille habitus aderat; simul ex hoc loco rursus liquet vocem alteram positam esse pro altera: quippe ubi Jehovae verba allegavit (vers. 9), qui edicit: הִנָּבֵא, statim ipse se dicto audientem describit per: וְהִנַּבֵּאתִי; hic alterius notionis ad alteram transitus et fluxus non possunt non positi esse in vi utriusque notionis magis cognata quam quae ab Redslob proponitur. Nimirum qui est נָבִא, idem nunquam non est מִתְנַבֵּא: uti per illud res ipsa denotatur, ita per hoc eius rei species et forma, quam nulla res habere non potest: uti per illud maxime de verbis ipsis abs Jehova inditis cogitatur, ita per hoc de his verbis quatenus vocis sono, vultu, manuum gestu, denique tota conditione eius, qui verba illa pronuntiat, exprimuntur. Neque solum ad eos, qui spiritu Jehovae afflati vaticinantur, haec pertinent, sed etiam ad eos, qui spiritu malo aguntur: ita in Saulem quoque cum insania furentem cadit notio הִתְנַבֵּא (1 Sam. 18, 10), nec non in prophetas illos coram Josaphato et Achabo vaticinantes, qui spiritu mendaci occupati erant (1 Reg. 22); neque solum notio הִתְנַבֵּא attribuitur eiusmodi hominibus, qui maxime specie externa per vim illam infestam ut suppleant coguntur, quod re ipsa iis deest, sed etiam notio נִבָּא propter ipsam illam utriusque vocis cognationem cf. 1 Reg. 22, 12; (haec verbi נִבָּא hoc in genere usurpatio fugit Redslob cf. p. 9). Quo הִתְנַבֵּא, eodem spectat et notio מְשֻׁגָּע, qua significatur et ille filius propheta in 2 Reg. 9, 11; hac status externus eorum, qui sunt מִתְנַבְּאִים, accuratius definitur: videlicet extrinsecus tanquam vesani, amentes plerumque videbantur; cf. et Manger ad Hos. 9, 7; Hengstenberg, Christol ed. alt. III, 2, p. 167 sq.

arcessi iubet (2 Reg. 3, 15): Assaph, Heman, Jeduthun quod appellantur הַנְּבִיאִים בְּכִנֹּרוֹת וגו׳ (1 Chr. 25, 1 cf. vers. 2), aliud quidquam probant, nisi salva et incolume vi vocum נָבִיא, נִבָּא, הִתְנַבֵּא genuina pertinuisse musicam ad vaticinationem*). Idem allegandum adversus eos, qui verba הִתְנַבֵּא et נִבָּא, de his prophetarum coetibus dicta, virtutem eorum propriam debilitando interpretantur: „cantu celebrare", „Dei laudes ore modulari", „laudes Dei personare et cantare", „scienter canere" (Jonath. ad 1 Sam. 19, 20 [שבח]; Witsius Misc. s. L. I, c. I, § 7; Vitringa de synag. L. I, Pars II, p. 357 sqq.; Buddeus H. E. V. Testam. Pars II, p. 27; Zinck. l. c. p. 35; Knobel; Thenius all.). Atque Hering, qui usque eo procedit, ut ab illorum prophetarum, quem et ipse eruit, cantu**) afflatum divinum ac mirum effectum omnem et quemvis removeat (l. c. p. 45), et illam harum vocum interpretationem iam ideo accipiendam esse dicit, quod non sit verisimile tot homines una simulque vaticinando aut verba eadem praedicavisse, idque ubi praeter ipsos non adsit, cui potuerint ea praedicari, quae insuper, si unus ex iis locutus esset, multo clarius et distinctius excepta essent auribus: aut varia verba et diversa pro se quemque cum summa vocum confusione protulisse; nec etiamsi alius post alium vaticinium edidisset, procedendo eos verba facturos fuisse (p. 41). At has

*) Cf. Hengstenberg, Christol. ed. alt III, 2, p. 162. J. Lev. Saalschütz, Geschichte und Wuerdigung der Musik bei den Hebraeern. Berlin, 1829.

**) הִתְנַבֵּא in 1 Sam. 10 et 19 dicit esse: „Absingen heiliger Lieder mit Musik verbunden." l. c. p. 42.

difficultates Hering ipse tandem fabricatus est; nam quid crebrius occurrit, quam ut, quae unus ex societate quadam fecerit, ab societate tota facta esse narrentur: quis quum Abraham de agro emendo cum Chethitis colloqueretur, eos omnes et cunctos una et simul respondisse animum inducit, quamvis legat (Gen. 23, 5) וַיַּעֲנוּ בְנֵי־חֵת אֶת־אַבְרָהָם לֵאמֹר לוֹ: quis Gibeonitarum legatos, coram Josua stantes, omnes simul aperuisse ora, quum legitur וַיֹּאמְרוּ אֵלָיו (Jos. 9, 6. 8): Rubenitas, Gaditas una cum tribu Manassitarum dimidia vel cunctos vel simul sermonem illum solemnem in Jos. 22 consignatum expromsisse, quum scribitur וַיַּעֲנוּ בְנֵי־רְאוּבֵן וּבְנֵי־גָד וַחֲצִי שֵׁבֶט הַמְנַשֶּׁה. Neque quemquam adfuisse, qui eorum vaticinia audiret, ipsum Hering praesumsisse dicendum esset, etiamsi nullum eorum, quos allocuti sint, vestigium in ipsa narratione, tantum quae ad finem auctori facere videantur breviter exhibente, deprehenderetur; quamquam exstant eiusmodi vestigia: etenim in 1 Sam. 10 commemorantur Philistaeorum custodiae, quae ibi fuerint (v. 5) atque iuxta vers. 11 adest hominum multitudo, quae et hoc versu et versu insequenti distinguitur ab illo prophetarum coetu; nec in capite 19 non sunt, quae eos habuisse innuant, coram quibus vaticinarentur: cf. in versu 21 illud וַיַּגִּדוּ, in versu 24 עַל־כֵּן יֹאמְרוּ cll. 10, 12. Atque illud וְהֵמָּה מִתְנַבְּאִים in 1 Sam. 5 neutiquam ita pertinet ad id, quod praecedit, יֹרְדִים, ut eos, quum populum alloquerentur, processisse, non substitisse existimandum sit: illa enim prophetarum descriptio, inter ea, quae Sauli eventura sint, interposita, in Participiis versatur, quae propter ו praefixum prorsus non statuunt eiusdem

ipsius momenti actiones, sed actionem, quae actionem secuta sit, permittunt.

Quae quum ita sint, et ad hos prophetarum coetus quod attinet uti notionis נָבִיא, ita verborum נִבָּא et הִתְנַבֵּא adhuc stat virtus genuina, quam supra explanavimus. Igitur per illud חֶבֶל נְבִאִים et לַהֲקַת נְבִיאִים qui insigniuntur, ii habendi sunt, quorum erat verba ab Jehova indita cum divina auctoritate promulgare.

Jam videndum, quomodo ad hos prophetas se habuerit Samuel, qui dicitur נִצָּב עֲלֵיהֶם; hac enim designatione maxime adduci solent interpretes, ut et hos prophetas in suas, quas finxerunt, scholas agitent discipulos, ubi canere quoque apte, hymnos componere atque accurate inflare tibiam, ludere nablio, tympano didicerint*). Quippe simul respiciunt ad illud וְלִפְנֵיהֶם נֵבֶל וְתוֹף וגו׳ (1 Sam. 10, 5). Exercuerint poeticam, dederint operam arti musicae ut quivis alius Israelitarum, cui quidem erat earum rerum tractandarum vel studium vel facultas: ex Scriptura id non proficiscitur: nam et illo loco, ad quem libenter remittunt, exserte a prophetis ipsis discernuntur musici tum per illud וְלִפְנֵיהֶם tum per enuntiationem וְהֵמָּה, quae propter huius Pronominis tertiae personae usum**) non pertinet ad continuandam enuntiationem וְלִפְנֵיהֶם וגו׳ i. e. non pertinet ad musicos istos, sed ad prophetarum coetum, qui mu-

*) Inter eos, qui hoc defendunt ad res artesque communes horum prophetarum institutionem referendo, nemo audacius et confidentius loquitur quam Hering l. c.

**) Quo in genere cf. Faesi in „Neue Jahrbuecher fuer Philologie und Paedagogik, herausgegeb. von — J. Chr. Jahn"; tom. IV, p. 199 sqq.

sicorum commemorationi antecessit: hi musici igitur ad prophetas ipsos se habent, ut ad Elisaeum vaticinaturum ille fidicen, qui ad instrumentum musicum pulsandum arcessebatur (2 Reg. 3, 15)*).

Hoc modo doctrinae, qua in scholis illos prophetas imbutos volunt, certe pars ea recedit, qua edoctos eos esse ipsissimam Scripturam s. testari dictitant. Neque solum doctrina nulla, qua in scholis instituti sint, allegatur in libris Samuelis, sed etiam nulla omnino schola: in cuius gratiam, ut supra memoravimus, afferunt, quod Samuel significatur נִצָּב עֲלֵיהֶם. Hoc verbum נִצָּב cum עַל פ׳ coniunctum de iis in universum dicitur, qui cum auctoritate aliis praesunt: ita de Doego in 1 Sam. 22, 1 legitur וְהוּא נִצָּב עַל־עַבְדֵי־שָׁאוּל; de servo Boasi in Ruth 2, 5. 6 הַנִּצָּב עַל־הַקּוֹצְרִים: atque in 1 Sam. 19, 20 Samuel is est, quo duce prophetae illi coram populo consistebant Jehovae voluntatem divinitus contestantes**). Antistitem autem quod prophetae eligebant et quod Samuelem eligebant antistitem, factum est ad consociationem quandam firmam efficien-

---

*) Contra sententiam nostram non pugnat, si uti Oehler l. c. p. 216 contendimus, musica sacra, quae Davide rege florebat, ut excoleretur, iam tum maxime et has prophetarum societates propter musices ad prophetiam rationem effecisse; neque vero inde sequitur fuisse harum societatum, ut tempus in musica exercenda ipsae collocarent.

**) Ex versu 24 Samuel videatur coram prophetis ita stetisse, ut ipse ab hominibus iis, qui audirent, aversus esset; sed illud: „vaticinabundus erat etiam ipse לִפְנֵי שְׁמוּאֵל“ nihil indicat nisi Saulem, ut nuntios eius, primum inter homines eos fuisse, ad quos verba facerent prophetae ibique ipsum, uti nuntios, vaticinabundum exstitisse, nimirum „coram Samuele“, qui quidem inter medios prophetas stabat coram populo.

dam, cui per ipsum Samuelem, iam inde a pueris singulari cum Jehova familiaritate insignem, accedebat auctoritas quam maxime idonea, qua ad finem illis viris Dei propositum cum successu tenderetur. Is finis qui fuerit ut cognoscatur, conditionem aetatis eius dispiciamus opus est, qua eae societates ab Jehova excitabantur; etenim prima eorum mentio fit, ubi Saul, postquam Samuel arbitris remotis regnum ei annuntiavit, nondum palam rex renuntiatus erat Mitzpae: ille autem, qui Naiothis Ramae occurrit prophetarum coetus, eo tempore commemoratur, quo Saul persequebatur Davidem.

Haec est aetas ea, qua Jehovam ipsum ostendere necesse erat, utrum eum populum, quem, inde ab Abrahamo providentiae ipsius beneficiis cumulatum, „possessionem peculiarem“ sibi elegerat, exin eodem loco, quo quamlibet gentem aliam, haberi pateretur: an in posterum eum vellet manere gentem illam sanctam, qua aeternum et stabile redemtionis generis humani consilium evolveretur et in conspectum nusquam non ita ostentaretur, ut forma quidem, species, involucrum quondam, praestituto tempore, immutari posset, sensus interior, natura ac vis vera per saecula cuncta perduraret. Quippe rex ut sibi a Samuele statueretur populus iste non flagitabat sensu eo, quo Deus ipse regem iis futurum dicit in Deut. 17, 14 sqq., i. e. quo Deus in perpetuum rex eorum ita maneret proprius (Deut. 32, 9; cf. 1 Sam. 12, 12), ut reges eorum, qui crearentur, nihil essent nisi vicarii imaginem ipsius visibilem repraesentantes: sed fiducia, in Jehova collocanda, abiecta institutionem sibi vindicabant vicinis

gentibus communem, qua res exinde gererent feliciter; unde edicit Deus: „Memet spreverunt, ne sim eorum rex" (1 Sam. 8, 7), ac Samuel queritur: „Vos iam spernitis Deum vestrum, qui ipse liberavit vos ex omnibus malis vestris et angustiis vestris" (ib. 10, 19) atque ipse populus postremo testatur peccati magnitudinem agnoscens: „Adiunximus ad omnia peccata nostra malum poscendo nobis regem" (ib. 12, 19)*). Contra hunc populum rebellem luctari uti erat prophetarum maxime eorum, qui memorantur in 1 Sam. 10, ita et adversus idololatriam**) arma ferenda iis erant una cum illis, qui occurrunt ubi rex, a Jehova reiectus, imperium usurpat ad tollendum regni heredem divinitus electum. In hac rerum turbine ut Jehovae piorumque eius sectatorum causam agerent, illa-

*) Hanc rem gravissimam Keil, ubi utrum prophetis, qui Samuelis an qui Eliae aetate exstiterint, munus fuerit difficilius dirimit, silentio prorsus praetermittit (cf. l. c. p 351).

**) Haec posita erat in studio eodem ipso, ex quo proficiscebatur primum ista regis statuendi flagitatio nefaria: nempe in morum et institutorum ethnicorum captatione, res proprias commiscente cum extraneis. Qui alterius ad alteram respectus et ex Samuelis verbis in 1 Sam. 12, 20—21 patet, ubi regis institutionem, improbe et nefarie antea flagitatam, confirmat adiiciens: „Dummodo ne recedatis מֵאַחֲרֵי יְהוָה"; recedere autem a Jehova quid sit, subinde explicat: „Sequuntur vanitates, quae non prosunt neque servant, nam vanitas ipsa (sc. idola)." Praeter hunc locum ad idololatriam illius temporis quod attinet cf. et 1 Sam. 8, 8; 19, 13. Caput septimum primi libri Samuelis, quod interpretes ad finem societatum prophetarum depingendum laudare solent, hîc omittimus, quia id agimus, ut id ipsum tempus perspiciamus, quo eae societates diserte fiant obviam.

rum societatum finis sublimis et munus erat grave ac difficile*).

Jam hanc prophetarum copiam, quam iuxta primi libri Samuelis narrationem seorsim contemplati sumus, conferamus cum illis, quos in libris Regum vidimus בְּנֵי־הַנְּבִיאִים.

Aetate utraque, his Scripturae s. locis exhibita, conspicimus prophetas Jehovae perfectos atque veros, qui duce et consiliario propheta quodam, cuius auctoritas iam innotuerat, societatibus ultro se connectunt ad Jehovae imperium inter populum, foederis in monte Sinai icti iura et officia detrectantem, contestandum, servandum, defendendum, restituendum. Hisce quam brevissime rei, de qua agitur, insignivimus capita: res

*) Quae Morgan (The moral philosopher Vol. I, p. 292 sqq.) de prophetarum, quem dicit, ordine a Samuele adversus potestatem regiam condito disputavit, partim corrigenda partim infringenda ex ea, quam supra breviter descripsimus, civitatis Israelitarum idea. Inter Suum enim populum Deus voluit et primi regis institutionem ad cogitationem sanctimoniae et salutis generis humani corformatam et regni, hoc modo instituti, continuationem eadem norma atque regula conservatam voluit atque circumscriptam; unde dignitate sua divina qui reges se indignos praestabant, qui re verbisque regem altiorem, cuius imaginem exhibere debent, deseruerunt, hos suo iure Jehova per prophetas, ab ipso delegatos inde motos indicabat, ubi vicarios infidos sese praebuerunt. Ex hoc iure Samuel, societatum prophetarum dux, Sauli annuntiat regnum ipsi a Deo abiudicatum Davidemque unguit successorem; eodem iure, cuius et Bauer (Hebr. Mythol. II, p. 146), Leo (Vorlesgg. ueber d. Gesch. d. Juedisch. Staats), all. nescios se profitentur, ille, qui mittitur ex prophetarum societate, Jehuo a Jehova regem eum factum indicat, ut domus Achabi eiusque sectatorum facinora ulcisceretur, 2 Reg. 9, 6 sqq.

ceterae, ut vidimus supra, e. c. musices usus*) minus ad causam ipsam spectant. Atque ad prophetarum, quae fuerint, scholas quod attinet, uti ex libris Regum fabricari eas non valuimus, ita earum cogitatio et ex libro primo Samuelis recedebat omnis: praesertim quum in huius libri prophetas ea fere praeiudicando tantummodo transferri posset ex libris Regum; unde ex his disquisitionem nostram incepimus, quae in hos non quadrent, multo minus in illas Samuelis societates cadere comprobaturi.

Quod autem attinet ad differentiam eam, qua alterius aetatis societates ab altera discrepasse contendunt Haevernick et Keil**), maxime provocant ad ipsius designationis differentiam; hanc explicat Haevernick (Einl. i. d. A. T. II 2 p. 20) denotando accuratius, quales ad Samuelem se habuerint, Keil denotat accuratius, quales ad Eliam et Elisaeum. Ille enim dicit Samuelis aetate fuisse voluntariam atque factam ultro ad Samuelem et ad libertatem futuram accessionem (נִצָּב עֲלֵיהֶם; הַנְּבִיאִים): hic ex illo בְּנֵי־הַנְּבִיאִים coniectat huiusmodi viros vinculo multo arctiori coniunctos fuisse cum Elia et Elisaeo, utpote qui patres eorum fuerint, non soli נִצָּבִים עֲלֵיהֶם. Verum ex hisce designationibus

*) Huc referenda ea quoque quaestio, num domicilia illi prophetae habuerint communia, num coenae communes iis ex ordine fuerint quotidianae; ea ut iis, qui in regno Ephraimitarum munus obibant, certo attribui non posse ostendimus, ita Samuelis quoque aetate edoceri non possunt ex iis, quae coniectura eruunt ex illo נָוִית: praesertim quum vel hanc coniecturam incertam incertis istis de societatibus librorum Regum opinionibus fulciant.

**) Hos sequuntur et Thenius (Commentar z. d. BB. der Koenige, p. 278) atque Oehler (l. c. p. 215).

ea neutiquam concludi possunt; nam quum „prophetis praepositus" (cf. 1 Sam. 19, 20) nuncupatur Samuel, Elias et Elisaeus per illud בְּנֵי־הַנְּבִיאִים innuuntur „pares" eorum: non obversatur consuetudinis arctioris et minus arctioris distinctio, sed res eadem ipsa modo diversa ex parte ita significatur, ut per נִצָּב dispiciamus potissimum ordinem quendam exteriorem, per בָּנִים potissimum ordinem sve rationem interiorem. In libro Samuelis ratio exterior diserte commemorata reperitur, in libris Regum interior; neque vero altera excludit alteram: potius propter finem, qui illis utriusque temporis prophetis propositus erat, eundem, nempe sanctitatis regni Dei restitutionem, altera alterâ omnino carere non potuit. Is finis utro tempore difficilior fuerit attactu itaque ad coniunctionem adegerit efficiendam arctiorem, profecto ex ea comparatione, quam perhibet Keil (l. c. p. 351, 352), omnino non potest elucere. Primum enim hic interpres certe quoad Samuelis aetatem ex solo effectu feliciori difficultatem obstaculorum superandorum minorem studet evincere: quae evincendi ratio magis ad speciem veritatis suggerendam valet, quam ad veritatem rei, de qua agitur, ipsam cognoscendam; atque si quae ad hominem argumentatio conceditur, optime ex ipso successu feliciori colligi posset illas Samuelis societates firmiores, arctiores, ad hostem superandum aptiores institutas fuisse; sed id quidem apparet in regn Jehovae historia ex sola animorum conversione citius aut tardius effecta definire non licere, utrum is statusanimorum, qui praecesserit, melior fuerit an peior. Dende, ut vidimus supra, rerum civilium, quae denotatur in primo Samuelis libro, pericu-

losam turbinem internam, per impii regis imperium exin continuatam, ne verbo quidem attigit Keil. Postremo in Samuelis aetate depingenda nimis respicit ad tempus id, quo num illae societates, ut a Jehova excitarentur, iam opus fuerit coniectando opinari quis potest, pro certo statuere non potest: id enim tempus, quo primum eae commemorantur, nempe quo rex flagitatur, rex flagitatus regnat et imperium usurpat, notis gravissimis et singularibus insignitum disiungitur ab eo, quod capite septimo et prioribus capitibus describitur. Juxta ea autem, quae in primo commentationis capite disseruimus, quamquam nobis quoque Eliae et Elisaei aetatis cum difficultatibus impedimenta grandia non constare non possunt: tamen et aetas ea, qua illis primi libri Samuelis societatibus non aderat civitatis, circa templi sacri fulcimenta sacra stipatae, subsidium validissimum, quale Achabo rege (per ipsum regnum Judaeorum, Jehovae sese praebens fidum), societatibus prophetarum in regno decem tribuum auxiliabatur, sed contra totam gentem acies erat instruenda: ea, inquam, aetas non minus erat ita comparata, ut ad Jehovae praecepta et voluntatem exsequenda et ipsorum esset vires suas unire coniunctione tam intus quam extrinsecus arctissima. Quod autem auctor librorum Samuelis nihilo secius non utitur designatione בְּנֵי־הַנְּבִיאִים, invicem librorum Regum auctor, ubi prophetarum societates memorat, non habet vocem illam de prophetarum societatibus semel obviam נִצָּב, id ad rem posteriorem quod attinet per diversam scriptorum diversorum scribendi rationem fieri potuit, quum alius scriptor enuntiationes et verba adhibere soleat, quae

alius vel non adhibet vel raro adhibet; ad rem priorem quod attinet, quod apud scriptores diversos observatur, idem de diversis aetatibus et saeculis dicendum redit: quippe libros Regum post Joiachini regis ex carcere liberationem, i. e. post annum servitutis Babylonicae quadragesimum quartum compositos esse necesse est, Samuelis vero libri non multo post Davidem mortuum conscripti sunt*): atque intra saecula fere tria fieri potuisse nemo non concedet, ut, qui ante id tempus, talium societatum participes, tantummodo communi prophetarum designatione appellati essent, in hominum oribus paullatim et singulari quadam significatione insignirentur; hoc in genere conferenda est illa significationis immutatio, quae occurrit in 1 Sam. 9, 9; ubi, qui quondam dicti sint רֹאִים, eos postea appellatos esse legimus נְבִיאִים: quamquam et aetatibus posterioribus significatio prior non prorsus abolita est, v. e. c. Am. 7, 12. 13 cll. versu 14; eodem modo et ad societates prophetarum quod attinet, per designationem בְּנֵי־הַנְּבִיאִים non abrogata est designatio illa simplex Samuelis aetate usitata: id quod ex iis locis patet, quos supra (p. 30) allegavimus.

Quae quum ita sint, siquidem utriusque aetatis societates inter quae differentia fuerit edocendum est, non alia proponi potest atque ea, quae est inter eiusdem patriae exercitus, quibus temporibus variis et variis in locis hostis, hic illic irruentis, impetus sustinendus est tam vehemens, ut alii non liceat aciem instruere remissiorem quum alius series suas acrius expediat: sed

*) Cf. Haevernick l. c. 2, 1 p. 145.

quisque locum suum sive planum et palustrem, sive silvestrem et montuosum non tenere possit nisi cum summa, qua valeat, virium intentione atque robore.

CAPUT III.

De prophetarum societatum, quae Eliae, Elisaei, Samuelis aetate occurrunt, origine communi, continuatione, fine.

De prophetarum societatibus tum iis, quae cum Elia atque Elisaeo versabantur, tum iis, quae Samuelis aetate obviam fiunt, nec non quomodo hae ad illas se habeant vidimus: restat, ut disseramus primum de societatum utriusque aetatis origine communi, deinde num a Samuele ad Eliam continuatae sint, denique quando cessaverint. Haec quaestio triplex iuxta eam, quae usquedum se obtulit, harum societatum notionem re ipsa omnino differre non potest a totius prophetiae originis, continuationis, finis exploratione: quippe prophetas Jehovae veros et perfectos iis contineri cognovimus, qui a prophetis alias et alibi obviis ea re differant, quod non dispersim exstiterint et singulatim, sed munus obierint numero uberiores atque viribus sociatis. Unde aeque absumus tum ab iis, qui omnino

de origine earum investiganda desperant, tum ab eorum vel affirmationibus vel coniectationibus, qui partim prophetiae totius vim veram non perspicientes partim opiniones de his societatibus praesumtas obtinentes aut Samuelem primum earum societatum conditorem fuisse statuunt pro certo*) aut cum Zinck**) prius originis tempus concedendo cum Nasiraeorum sorte eas misceri posse sentiunt. Potius per ceterorum prophetarum et per societatum illarum legationem promissio ad eventum producta est non nisi eadem: nempe ea, quam Moses divinitus effatur in Deut. 18 futuros Jehovae prophetas veros personae *idealis* specie proponendo: נָבִיא אָקִים לָהֶם מִקֶּרֶב אֲחֵיהֶם כָּמוֹךָ וְנָתַתִּי דְבָרַי בְּפִיו וְדִבֶּר אֲלֵיהֶם אֵת כָּל־אֲשֶׁר אֲצַוֶּנּוּ׃ haec promissio cunctae cunctorum Jehovae prophetarum seriei origo communis, ex qua pro muneris obeundi, temporibus variis, varia conditione mox prophetae procreabantur vel singulares vel nulli mox una gignebantur vel plures vel pauci vel perplurimi. Quamobrem ut e. c. afferamus Samuelis aetatem, qua primum verbis disertis memoratur quaedam prophetarum ubertas, certe refringi nequit eorum opinio, qui eam et tunc fuisse censent, quum populus a Philistaeis oppressus et arca sacra, praesentiae Jehovae pignore, privatus deos alienos, Baalem et Ascheram, amplexabátur (v. 1 Sam. 4, cll. 7, 3. 4). Sed quoties et quando ea ubertas fuerit praeter aetates eas, quibus Scriptura s. eam memorat, modo effici potest coniectura, et coniecturando hac in

*) Id quod postremo diserte defendit Baur, in: der Prophet Amos, Giessen 1847. p. 21.

**) L. c. p. 20.

re quis est quin largiatur nihil profici; idem dicendum de iis, qui inde a Samuele ad Eliam usque eas societates continuare tentant. Thenius enim*) illud argumentum a silentio, quod affert Keil, ita reiicit, ut ab omnium conspectu remotas eas clam**) perduravisse dictitet, praesertim quum iam Salomone rege idololatria caput erexerit; atqui scimus totum populum, si unquam, profecto uti Davide ita Salomone quoque rege Jehovae unius tenacissimum fuisse: ac sub finem demum regni Salomonis unius regis eiusque mulierum idololatria notatur (cf. 1 Reg. 11); atque haud dubie, ut suum tribuatur ei plus sexaginta annorum spatio, quo idololatriae vestigium erui potest nullum, simul remittimur a Thenius ad Ewaldi opinionem, sane contemtam prophetiae imaginem perhibentem; quippe qua harum societatum prophetas, musicos, discipulos, tirunculos redditos, ne morae taedio elanguescerent, una habitando, diligenter discendo, laborando, tempus otiosum fefellisse affirmetur. Oehler autem societatum intra hoc tempus continuationem inde verisimilem esse dicit, quod continua prophetarum inde a Samuele successio, historiâ expressa atque conspicua, unde facta sit, facillima sit explicatu, si ea societatum adminicula permansisse accipiatur; nec non edoceri eas societates continuatas per magnum illum prophetarum numerum, qui Elia in lucem procedente iamiam praesto fuerit iuxta 1 Reg. 18, 13***). At prius illud positum est in ratiocinio,

*) L. c. p. 278.

**) „Ganz in der Stille."

***) L. c. p. 215 cf. 212. 214.

cuius propositionem minorem apparet utique falsam esse: nam singulorum prophetarum successionem continuam facilius redundare ex societatibus continuatis quam ex non continuatis comprobandum esset, si revera tantummodo hoc dilemma exstaret; verum arte demum id confectum est: nam sive abruptim emergunt prophetae sive propheta excipit prophetam, non haec tandem referenda sunt ad societatum adminicula quae fuerint aut non fuerint, sed referenda sunt ad unam voluntatem Dei, qui ad tempus prophetas suos delegat, ad tempus delegatos dicto audientes eos esse iubet: quo in genere praeclare dicit Amos (3, 8): „Leo mugit, quis non metuit: Dominus effatur, quis non vaticinatur*)?“ Atque posterius illud, quod allegat Oehler, iam nihil probat nisi amandatam exstitisse prophetarum Jehovae copiam eo tempore, ad quod 1 Reg. 18 pertinet: nempe ineunte regnum Achabo, qui tribus, a templi sanctitate scissas ac vitulorum cultu obrutas, inquinabat et idololatriae introductione publica**). Ex hisce, si quae adhuc de prophetarum so-

*) Haec spectant tam ad prophetarum per verba factaque operationem quam ad efficacitatem eam, qua simul opera dicanda erat rebus gestis per litteras consignandis, igitur de Davide quum memorantur in 1 Chr. 29, 29 libri Samuelis, Nathanis, Gadis: de Salomonis imperio et vita in 2 Chr. 9, 29 scripta Nathanis, Achiiae, Jedonis, neutiquam est, cur interpretes quidam ex horum librorum conscriptione instituta, quae ei muneri adacta fuerint, propria sequi existiment. Quamquam et prophetarum societates, quandocunque exstiterint, a historia sacra litteris depingenda non alienas fuisse putandum est.

**) Hos prophetas, quorum mentio fit in 1 Reg. 18, 4. 13, in primo commentationis capite omisimus, quod id unum ibi spectabamus, ut expediremus, quae ad eos, qui בְּנֵי־הַנְּבִיאִים nun-

cietatibus quales fuerint disquisivimus assumuntur, perspicuum est eas a Samuele ad Eliam omnino continuatas permansisse etiam Davidis et Salomonis aetate neque certum esse fixumque neque verisimile.

Reliquum est, ut inquiramus, quando eas societates prophetarum cessasse putandum sit. Harum in libris Regum postremo mentio fit diserta, ubi Iorami regis anno duodecimo Jehuus prolem Achabi iubetur exstirpare (2 Reg. 9); per Jehuum autem rerum ad cultum Jehovae pertinentium conditio non ita immutata est, ut hae societates, quas Joramo rege vigentes conspicimus, subinde arma possent ponere: Jehuus enim, uti paullo post ex imaginum veneratione apparuit, non rerum divinarum studio, sed imperandi libidine ductus illas sectatorum Baalis, familiae Achabi deditorum, caedes perpetravit: his hominibus regiae domus studiosis infestus erat, non Baali, cui, postquam solium firmum

---

cupantur, aperte et expresse tendunt; hi enim, qui appellantur נְבִיאֵי יְהוָֹה, num iam arctiori illa societate sese coniunxerint, in quam redacti occurrunt ii, qui primum in 1 Reg. 20, 35 diserte dicuntur בְּנֵי־הַנְּבִיאִים, coniunctique iamiam societatum vinculo, quo modo et illos בְּנֵי־הַנְּבִיאִים dictos vidimus נְבִיאֵי יְהוָֹה (cf. 1 Reg. 20, 38. 41; 2 Reg. 9, 4), eodem ipsi quoque significentur dubium est. Simili de causa ibidem non memoravimus Micham (1 Reg. 22) nec eos prophetas, qui in 1 Reg. 20, 13. (22). 28 dicuntur: fieri enim potuit, ut etiam initio eius aetatis, qua societates iamiam effectas fuisse scimus, plures prophetae prioris aetatis superstites singulatim munus obirent; quamquam et Micham quominus ex numero filiorum prophetarum fuisse putemus, iuxta ea, quae supra vidimus, iam impedimur neque significatione illa נָבִיא לַיהוָֹה (v. 7) neque vaticinatione ab ipso Jehova ei suggesta, nec habitationis, quae fuisse videtur, a veris Jehovae prophetis aliis longinquitate.

vidit, non studuit admodum nocere: unde in 2 Reg. 17, 16 una cum vitulorum cultu veneratio Baalis continuum Ephraimitarum peccatum proponitur (cf. et 2 Chr. 34, 6. 7); nec aetate illa infausta defuit, cuius auctoritatem ubertas prophetarum, si quae aderat, uti alias sequeretur: superstes enim erat etiam Joaso rege, post Jehui unctionem plus quadraginta quinque annorum spatio, Elisaeus, „Israelis currus et equites" (cf. 2 Reg. 13, 14). Atque sub finem regni Jerobeami Secundi, qui insequebatur Joasum, postremo illae societates in memoriam rediguntur per Am. 7, 14.

Hoc de loco magna interpretum discordia exstat; altera enim pars בֵּן hîc sumi vult sensu proprio, altera sensu figurato; haec discrepantia non tolletur, quousque utraque pars per eum versum tempus praesens indicari existimabunt. At primum elucet per illud Vav Imperfecti Historicum in versu 15 (וַיִּקָּחֵנִי יְהוָה מֵאַחֲרֵי הַצֹּאן), qui ipse temporis iamiam praeteriti res exhibet, sensum versus praecedentis genuinum atque simplicem in tempus etiam prius referri quam quod versu insequenti designetur: unde versum 14, in quo ut passim alibi Subiecti cum Praedicato coniunctio non diserte expressa est per Copulam, vertere non licet: Non propheta sum ego nec filius propheta (sum) ego, sed buculus sum et colligens sycomoros, sed hanc unam interpretationem concedi patet: Non propheta eram ego nec filius propheta ego (eram), sed buculus ego eram et colligens (eram) sycomoros: ita demum suum tribuitur illi וַיִּקָּחֵנִי יְהוָה*). Ac Baur

*) Grata huius interpretationis comprobatio occurrit apud LXX, qui vertunt: *οὐκ ἤμην προφήτης ἐγὼ οὐδὲ υἱὸς προφήτου*

quidem*) non sine recti sensu certe illud וּבוֹלֵס שִׁקְמִים ad tempus praeteritum remittit; at hanc enuntiationem tantummodo *epexegetice* adiungi ad illud בּוֹקֵר אָנֹכִי, quo quidem munus exprimatur Amosi proprium, ex eo patet, quod versu insequenti hoc unum excipitur**); quomobrem tota illa enuntiatio בּוֹקֵר אָנֹכִי וּבוֹלֵס וג׳, quippe quae tanquam una sit, temporis est praeteriti: atque haec si eius temporis est, et munus hemistichio priori insignitum, quod opponitur alterius hemistichii muneri, ad tempus idem non potest non pertinere. Quae hoc modo se offerunt, confirmantur ea explicatione, quam eius versus verbis ut subdant coguntur ii, qui vocis בֵּן sensui figurato faventes tempus praesens iis contineri sentiunt; nam quum omnino prophetam se esse negare non posset Amos, quoniam suis ipse verbis confirmasset Amasiae sententiam, qui seditionis eum apud regem incusaverat***): primum vocem נָבִיא, antistitem societatum prophetarum ex eo, quod insequitur, בֶּן־נָבִיא eruendo, tali circumscriptione afficiunt, qualem usus linguae totius Testamenti Veteris destituit: deinde quum Amos ipsissimo Jehovae impulsu ad vaticinandum se adactum esse pro-

ἀλλ' ἢ αἰπόλος ἤμην — καὶ ἀνέλαβέ με κύριος ἐκ τῶν προβάτων. Marck autem (ad h. l.), etsi Imperfecto favere videtur, intra Praesens et Imperfectum fluctuat cum Hieronymo, grammaticae rationis nihil respectum habens.

*) L. c. p. 171.

**) Cf. Hengstenberg, Christol. I, p. 404 infra.

***) Quae tota rei conditio reiicit et Marckii opinionem, qui cum Hieronymo illud לֹא, ad tempus praesens relatum, humilitatis et modestiae esse existimat; et humilitas profecto falsa, quae indueret splendorem per gratiae et voluntatis divinae obscurationem!

bare studeat, eam auctoritatis societatum tum antistitum tum filiorum imminutionem alii revera aut in universum aut tunc temporis*), alii cum Hengstenberg (Christol. I, p. 405) certe per speciem in earum societatum institutione fuisse statuunt: atqui ad hoc posterius quod attinet, si ea species utique erat eiusmodi ut et Amos haberet, cur gloriaretur, quod non esset ex illis societatibus, profecto potentiae et auctoritatis suae divinae signa Jehovam inter populum contumacem, qui ad officium revocandus erat, melius, sapientius, efficacius exserturum fuisse nemo non infitiabitur, si omnino iis prophetarum societatibus excitandis abstinuisset satisque habuisset, prophetas delegasse singulos, a quibus abfuisset ea suspicio, qua eos auctoritate humana prodire statuebatur; qui autem in universum eas societates ita compositas et eum in finem institutas fuisse censent, ut per eas ipsas spiritus fatidicus imbiberetur, tota commentatione nostra affatim sunt redarguti; atque Bauri sententia, qua Amosi aetate eas fuisse contenditur institutum quoddam obsoletum et ad solas res externas exercendas delapsum, tum ex opinione illa proficiscitur, qua, ut ostendimus supra, artibus quibusdam dextre tractandis filios iam Samuelis, Eliae, Elisaei aetatate de industria edoceri solitos fuisse perperam praeiudicatur**): tum hoc uno Amosi loco innititur, quem quam in partem interpretetur is interpres ipse quam maxime in dubio versatur***).

*) Cf. Baur, l. c. 31. 51.

**) Cf Baur l. c. p. 50.

***) Cf. l. c. p. 51,

Quodsi non alia argumenta praesto essent, quibus prophetarum societates hîc significatas esse confirmetur, sane praeferenda esset illa interpretatio, qua per בֶּן־נָבִיא intelligendum esse efficitur eum, qui a propheta generatus sit sensu physico itaque hoc loco innui vestigium opinionis posteriorum Rabbinorum, qui hereditario iure prophetiam a patre in filium intrasse persuasum habebant*). At haec interpretatio tantum ab eo accipi potest, qui toti versui iniungit Tempus Praesens; hoc autem, ut vidimus paullo ante, utique reiicitur per huius versus et versus sq. rationem tum interiorem tum exteriorem, qua exigitur Temp. Praeteritum; atque quum iam interpretandum sit: non propheta ego eram, nec filius prophetae eram ego, omnino re ipsa excluditur vocis filii sensus is, quem antea quoque in se cecidisse negare non poterat Amos: videlicet is, quo filius erat sensu physico.

Ergo redeundum ad notionis בֶּן־נָבִיא vim tropicam. Atque Knobel quidem contendit Amosum, si illarum societatum prophetam intelligi voluisset, scripturum fuisse: אִישׁ אֶחָד מִבְּנֵי הַנְּבִיאִים vel אַחַד מִבְּנֵי הַנְּבִיאִים: eas enim significationes in libris Regum usurpari, ubicunque unus illorum sensu tropico filiorum memoretur (1 Reg. 20, 35; 2 Reg. 9, 1; — 2, 7). Contra haec afferri possit, quod genere dicendi et

*) Similis de prophetiae origine opinio iam in 1 Sam. 10, 11. 12 occurrit, ubi iis, qui interrogant, quidnam acciderit filio Kisi, viri obscuri atque ignoti, respondetur ab iis, qui prophetiam non pendere sciunt ex generis nobilitate, illi ipsi, quibuscum vaticinetur Saul, quosnam et quales habeant patres. Hunc huius loci sensum simplicem definit iam Joh. Dav. Michaelis; cf. praeterea Oehler l. c. p. 216.

scribendi differat historicus a propheta, qui spiritu divino afflatus non nimis anxie solitae verborum formae exteriori sese adstringat, non haereat circa verbum, dummodo cogitatio patescat, nec non habeat quandam cum gravitate brevitatem, cui pro longiori illo וְלֹא אִישׁ אֶחָד מִבְּנֵי־הַנְּבִיאִים אָנֹכִי vel וְלֹא אֶחָד מִבְּנֵי־הַנְּבִיאִים אָנֹכִי magis arriserit haec enuntiatio brevior וְלֹא בֶן־נָבִיא אָנֹכִי. Quamquam altera ex parte negare non poterimus et altiori quadam causa auctorem librorum Regum adductum fuisse videri, ut nudum illud בֶּן־נָבִיא non poneret; uti enim nullibi in Codice sacro pro אִישׁ מִבְּנֵי־יִשְׂרָאֵל legitur nude בֶּן־יִשְׂרָאֵל, quod scriptoribus, si unum huius gentis denotabant, nunquam non obversatur pars absque illo toto gravi, cuius sit pars: ita haud dubie unus ex illis societatibus non בֶּן־נָבִיא, sed אִישׁ מִבְּנֵי־הַנְּבִיאִים dicebatur, quia respicere soliti erant ad eius, cuius esset, communionis gravitatem: per hanc enim, non per singulos prophetas in illis tempestatibus maiestatem suam Deus voluit comprobatam atque hunc significationis usum sequitur auctor librorum Regum. Quod si ita est, nescio an per illud בֶּן־נָבִיא apud Amosum ratio societatum prior quodammodo immutata deprehendatur.

Etenim per Jerobeamum Secundum, pro misericordia atque benignitate Jehovae, felicitate, tanquam denuo adoriente, Ephraimitis undique acerbissime afflictis suppeditata (cf. 2 Reg. 14, 26. 27), quum populus securus atque ingratus nec hoc beneficio ut ad meliorem frugem sese reciperet adduceretur, sed suis viribus prosperum regni statum acceptum referret vana sui fiducia inflatus (cf. Am. 6, 13), iamiam appropin-

quaverat id tempus, quo nihil obstabat, quominus et pro illius prophetarum ubertatis, ad salutis conditionem revocantis, gratia divina exin maledictionis cum populi degenerati exterminatione signa immitterentur. Hoc tempus insignitur Hoseae et Amosi vaticiniis, quorum nihil est nisi meritam poenam iamiam fixam atque statutam annuntiare, minas atque diras prorumpere, interitum, eversionem regni, exsilium promulgare: atque ea, quae praedicitur, restitutio non iam pertinet ad tempus proximum, sed ad id tempus, quo Hierosolymis quoque deletis et iustitiae divinae supplicio affectis (cf. Am. 2, 4. 5; 6, 1) Juda una cum Ephraimo, Deum suum, quem deseruerint, quaerentes, unanimi et concordes reversuri sint ad Davidem suum atque in regnum eius ethnicorum, ad populum Dei pergentium, multitudo cum gaudio introitura sit, „in extremitate dierum*)“ (Hos. 3, 5. — Hos. 6, 1—4; 2, 1. 2; Am. 9, 11. 12). Ex hisce patet Amosi, aequalis Hoseae, aetate non amplius fuisse id tempus, quo clementia, benignitate, gratia divina iste populus contemtim frui pergeret: intercesserat id spatium, quo eum, a Jehova reiectum, supplicia merita manebant: ad haec indicanda non opus erat illis societatibus, quae eum in finem compositae erant, ut singulos animos rebelles docendo, adhortando, persuadendo ad Jehovam convertentes supplicia illa averterent: iis, qui in posterum per ipsa supplicia docendi erant atque persuadendi, voluntatem Jehovae per vates paucos verbis annuntiasse

*) De hac definitione, Messiae tempora indicante (Jes. 2, 2; Mich. 4, 1; Dan. 10, 14; — Num. 24, 14) cf. Hengstenberg, Christol. I p. 328.

litterisque in usum posteritatis mandavisse sufficiebat. Quodsi societas prophetarum Amosi aetate non exstabat, sed hic illic propheta auctoritate insignior, quocum ex illo priorum aetatum usu quidam propheta alius familiarius se coniungebat, haud difficile est cogitatu, qua de causa Amos non habeat illud אִישׁ מִבְּנֵי־הַנְּבִיאִים, quod in communionem prophetarum maiorem et cum priorum temporum societatibus exaequatam quadravisset, sed aptius hoc בֶּן־נָבִיא; atque non Hoseam modo, Amosum, Jonam, sed alios quoque prophetas intra illud tempus, quo ad interitum tendebat regnum Ephraimitarum, munus obiisse iam ex uno exemplo Odedi intelligere licet, quem Pecacho rege offendimus Samariae degentem (2 Chr. 28, 9—11).

Ceterum utut quis hac de re iudicabit, id quidem constat per בֶּן־נָבִיא intelligendum esse filium sensu figurato; neque vero hinc in enuntiatione, quae praecedat, לֹא נָבִיא אָנֹכִי per נָבִיא designari sequitur prophetam societatis antistitem seu prophetae sensu tropico patrem: potius haec enuntiatio לֹא נָבִיא אָנֹכִי ad eam, quae insequitur, וְלֹא בֶן־נָבִיא אָנֹכִי eodem modo se habet, quo in hemistichio altero illud בוֹקֵר אָנֹכִי ad וּבוֹלֵס שִׁקְמִים; ut enim in hoc hemistichio primum buculi munus in universum indicatur, deinde speciatim de buculo aliquid praedicatur; ita in hemistichio priori primum prophetae munus denotatur in universum, deinde certam eius muneris conditionem insignitam videmus: innuit enim se antea non solum non fuisse aut prophetam singularem aut prophetam antistitem seu patrem, sed ne prophetam quidem filium.

Atque Amosum per illa verba ad prophetiae in

Juda patria conditionem respexisse eam ob causam non est verisimile, quod in hoc regno, ubi templum erat integrum, sacerdotes et Levitae munere rite fungebantur, resistentes Jehovae cultui illicito, qui ut in decem tribubus erat usus ita in Juda tantummodo abusus: ubi denique reges plurimi regnabant, qui de industria et religiose pietatem inter cives restituere sciebant, non opus erat illis prophetarum societatibus, quas in regno Ephramitarum propter ipsa illa adminicula deficientia constituti necesse fuisse vidimus. Eadem differentia eandem ob causam occurrit, si contemplamur miraculorum copiam inter Ephraimitas exsertam. Accedit quod societatum, quae in Juda fuerint, ne vestigium quidem in Testamento V. reperitur*).

Post Amosi autem aetatem num in regno decem tribuum societates prophetarum fuerint, haud difficile diiudicatu ex iis, quae iam de ipsa Amosi aetate verisimillima esse vidimus: nempe ne tunc quidem superfuisse priores illas societates tales, quales apud Samuelem, Eliam, Elisaeum conspiciantur. Aque post exilium Babylonicum finitum quam religiose inter Israelitas, qui cum magna sacerdotum frequentia redierant,

---

*) Rabbini quidem, quibus assentitur et Alting, illud בַּמִּשְׁנֶה (2 Reg. 22, 14), ubi Josia rege Hulda habitabat Hierosolymis, factitant בֵּית מִדְרָשׁ, בֵּית תַּלְמוּד, בֵּית אוּלְפָּנָה i. e scholam, qua Judaei litteris imbuti sint. Partem urbis, a Josepho dictam *ἄλλη πόλις*, intelligendam esse ostendit Keil ad h. l. et Thenius ad h. l. Insuper etiamsi schola ex hoc loco erui posset, id nihil ad rem: quoniam scholarum institutum a prophetarum societatibus toto coelo alienum esse vidimus.

magistratus civiles omnia legis Mosaicae praecepta observanda ipsi curaverint, ex libris Esrae et Nehemiae patescit; nec ullum invenitur indicium, ex quo praeter Haggaeum, Sachariam, Malachiam plures prophetas, nedum societates prophetarum, tum exstitisse colligi possit; atque illo tempore non amplius luctandum erat adversus fundamentorum theocratiae ipsius inter hunc populum eversores, ad quos impugnandos illa prophetarum ubertas una simulque suscitata erat: sed partim adhortandi et consolandi erant, qui propter rerum angustias de Dei auxilio et praesentia desperarent, partim horum trium prophetarum testimoniis in T. V. postremis ii erant edocendi, qui in omni praeceptorum Jehovae observantia exteriori interiori cordis conversione carebant. Prophetiae autem sub Foedere Vetere finem, per Malachiae vaticinia insignitum, eundem liquet esse terminum eum, ultra quem nec societates illae progressae sint: quippe quae numero tantum vinculoque, eum numerum continente, ab iis prophetis differrent, qui pro temporis conditione prodibant singulatim. Prophetiae autem loco in posterum apparuit ea doctrina, quae in libris Codicis sacri interpretandis et explicandis versatur: ex hac, cuius initia maxime Malachiae aetate iam reperiuntur, proficiscebantur tum synagogarum instituta, in quibus ad precandum et ad legem prophetasque legendas atque audiendas Judaei conveniebant, tum scholae et academiae paullatim progignebantur, in quibus Voluminum sacrorum interpretatio agitabatur allegorica et traditiones, quas dicunt, maiorum evolvebantur.

Jam proposito satisfecimus, in quo peragendo ante oculos id versabatur potissimum, ut difficultatum, quibus res ratioque interior librorum quum Samuelis tum Regum alioquin premi videntur, pars gravior removeretur, quum hae prophetarum societates, intra decem tribus obviae, quae fuerint et quid sibi voluerint, intellexisse idem sit totam eius gentis historiam singularem atque unicam comprehendisse; in re autem per sese tractatu difficillima et parum investigata quae exhibere studuimus, clementi lectoris benevoli iudicio commendamus.

TYPIS JULII SITTENFELD.


3 2044 069 580 801

